Jon. Coffe-House Lane n. 4163
V 77
11630. b. 7
3

# RELIQUIÆ EBORACENSES.

*Per* H. D. *Ripenſem.*

K

*Ex noto fictum carmen ſequor.* HOR.

*EBORACI:*
Typis CÆSARIS WARD et RICARDI CHANDLER.
Proſtant Venales apud JOHANNEM HILDYARD,
Bibliopolam.

M,DCC,XLIII.

Pretium 2 s.

Inſp.

BRITISH MUSEUM

AD

# LECTOREM.

*AUCTOR in initio operis pollicitus ſe iturum per Eboracam Romanam, Saxonicam, Danicam, &c. Romanam tamen Eboracam haud pervaſit. Fruſtra igitur hic quæras res ac loca quamplurima, quæ in progreſſu operis, et maxime inter recentiora tempora tractanda erant. Hoc interea ſpecimen viam aliis ſternat, quibus otii atque animi ſatis ad hoc opus forſan continuandum: vel, ſi exteri fuerint, ad tale aliquid de patriis ſuis commentandum.*

## *ERRATA.*

Lib. I. v. 58. Lege felicis. v. 175. prorumpunt. v. 178. cærulei. v. 562. audierit, Lib. II. v. 119. monteſque. v. 399. crebreſcere. Lib. III. v. 313. ſtrinxerat.

Adventare hoſtem. Quin protinus omne moveri
Cantium; et armato compleri milite litus.
In mare rorumpunt Britones; et curribus inſtant,
Conturbantque rotis hoſtes; teliſque laceſſunt
Inſtabiles fundo malefido, algaque tenaci:
Cærulii fluctus immani cœde rubeſcunt.
Inſilit hic decimæ Legionis ſignifer undis;
Inſtauratque animos, Aquilam ſupra æquora portans:
Reſpicienſque ducem vexillum in litore figit.
Inde fugæ facies; et vertunt terga Britanni:
Aut ſilvas, dumoſque petunt; aut morte cadentum
Corpora per patrios ſternuntur cærula campos.
Stabat Cingetorix vinctus; lectique Triumpho
Captivi: pacemque orat rex Caſſibelinus.
Parte vident alia Romam, et Capitolia celſa;
Fumanteſque aras; templiſque affixa trophæa;
Et populum tectis effuſum ardore videndi;
Longa triumphatis dum tranſit pompa Britannis.
Claudius invehitur curru ſublimis eburno;
Divinis elatus honoribus; imperio qui
Hunc orbem addiderat, noti ultra litora Ponti.
Unde illi Oceani devicti inſigne ſuperbum,
Tempora navalis cingit roſtrata corona.
Vincla gerens graditur Caratacus: omnis in illum

Converſos oculos, atque ora tenere videtur
Turba ; et cæruleas mirari in corpore formas :
Nec non adverſæ vultu miſereſcere ſortis.
Hic eſt, Mentor ait, qui in nonum reppulit annum
Romanas aquilas : nec pugna, captus et armis ;
Sed patriæ auxilium dum quærit, proditus hoſti.
Ut decus inſolitum, majeſtatemque paternam
Ore refert ! non vincla animum, captivaque conjux,
Non juxta fratres, et filia vincere poſſunt.
Gloria ſuſtentat factorum, et conſcia virtus.
Pars belli tam magna fuit ; tantique catenæ ;
Quanti nec Perſis fuerant ; Numidæve Syphacis.
Vidimus Heroa : en ! quantum nunc fœmina poſſet,
Aſpice ait. Gentes illic in bella Britannas
Ut ducit Bunduca furens ! ut cæde cruenta
Hoſtibus infertur, pœnas cum ſanguine ſumens,
Natarum ob raptum, ſua cæſaque terga flagellis !
Ut tamen illa domûs eſt dedecus ulta nefandum ;
En ! Camoloduni clades teſtantur et ignes ;
Atque æquata ſolo Verulami mœnia magna ;
Et quæ crebra micant inimicis funera caſtris.
Nec certat tantum Romanos vincere ; ſed ſi
Fata ſinant, totam vindex excindere gentem,
At viden' ut fugiat verſis Victoria pennis ;

Sueto-

Suetonîque ſuper volitet caput? altera campi
Jam facies, fuſis adverſo marte Britannis:
Et ſpes victori reginam oſtendere vinctam.
Illa immota ſedet curru; vultuque catenas
Indignante pati, et ſævæ ludibria Romæ,
Letales haurit ſuccos; natiſque bibendos
Porrigit: illæ avidis ſumunt data pocula labris.
Talia dum luſtrant oculis depicta per ædem,
Incedit Cæſar cum patribus; atque vocari
Legatos jubet: et quæ res ſit dicere coram.
Accedunt illi, Druidæ tres, veſtibus albis,
Geſtantes manibus virides de robore ramos;
Canaque ſacrato cinguntur tempora viſco.
Tunc his illorum primævus vocibus infit.
Arma Caledonii pro libertate capeſſunt;
Pro patria, et ſiquid carum eſt: mortemque ſubire,
Quàm ſufferre jugum malunt: nec vivere tanti eſt.
Sed ſi Romano tandem præfigere metam
Imperio; ferroque modum dignabere, Cæſar;
Eſt Mæatarum regio, quæ proxima ve[illegible]
Finibus in noſtros longe protenditu[illegible]
Terræ non temnenda plaga; et f[illegible]
Hæc cedat vobis pro pace
Cæſar ad hæc. Fœd[illegible]

At

At vos polliciti gentem frænare ferocem
Mæatas; intraque ſuos reſtringere fines;
Paſſi eſtis totis cum viribus arma movere;
Atque improviſo caſtris irrumpere noſtris.
Dignas credo equidem pœnas cum cæde luerunt.
Sed mitto hæc: dicam et quæ nunc ſententia reſtat.
Qua magis anguſta eſt media inter litora terra,
A portu Itunæ protenſus ad oſtia Tinæ,
Ad latam ſtruitur foſſam magno aggere murus.
Excubias illic ſpeculaſque ex ordine pono:
Et puto vidiſtis cæptas conſurgere turres.
Terminet imperium qua ducta eſt linea Valli;
Servatura ſuo noſtros munimine fines.
Quanta jacet tellus extra, ſit veſtra: petitam
In manibus pono pacem: patriaque licebit
Libertate frui. Nil murum quærimus ultra.
His animus Druidæ dictis commotus acerbis;
Atque audire piget. Cum protinus ora videri
Major: fatidicoque deo ſic percitus infit.
At nos a reliquo ſic rejicis orbe Britanno?
[illegible]nſes, aut fœdere jungi?
[illegible]s confiſe ſecundis!
[illegible]immutabile vobis
[illegible] paſcere tantas

Fata

Fata vetant. Surget tandem labentibus annis
Noſtrorum longo regum de ſtemmate princeps,
Anna potens bello, ſceptriſque potita paternis.
Illa reget cunctas, quas hæc habet Inſula, gentes:
Et nos cognatis populis adjunget; in unam
Componens omnes gentem: Britonumque redibit
Nomen; et unitis deerunt confinia regnis.
Hoc ingens vallum tunc vomere vertet arator:
Aut pro caſtellis imponet ovilia paſtor.
Inſuper hæc. Qui tunc Romani fræna tenebit
Imperii, fractus bello, atque hoſtilibus armis
Annam orabit opem ſupplex. Res illa labantes
Siſtet; et in tuto victrici marte reponet.
Nec rerum mirere vices: tu culmine ab alto
Jam ruis; et ſævæ ſcindunt tibi fila ſorores:
Aut Dodonæâ fallit me verior arbor.
Concuſſæ monitu mentes; totumque movetur
Concilium: placuit nec tanta licentia linguæ.
Diſcedunt Druidæ a templo: tutatur euntes
Relligio: viſcumque ſacrum temerare nefandum eſt.
Tum Cæſar ſurgens ad patres, nil moror, inquit,
Augurium Druidæ. Morbis, duroque labore
Nec piget infractum, aut mirum eſt, me occumbere morti.
De me Dii videant. Concuſſum motibus orbem

Accepi:

Accepi: pacavi omnes. Genteſque rebelles
Aſſuetas armis deponere tela coegi:
Atque ipſi tandem potiuntur pace Britanni.
Nil ultra patriæ poſſum perſolvere; ſolum
Reſtat, ut emeritos cineres tibi, Roma, remittam.
Sic fatus recipit ſe in regia tecta Bedernæ:
Et morti occumbens deponit tædia vitæ.
Poſtera lux fratres, et juncta inſignia regni
Educit; plauſus inter trabeæque togæque;
Dum lætis implet vulgus clamoribus urbem.
Septimio deinde extremi mandantur honores;
Relliquiiſque rogus; celebrandaque funera ludis.
Jam mutat ſcenam Mentor, nova tempora pandens:
Et Chlorum morbis confectum oſtendit, et annis,
Languentemque toro; cum Conſtantinus in urbem
Adventans iter accelerat: ſupremaque patri
Perſolvit pius; et morientia lumina claudit.
Lecto Helena aſtabat, Chlori mæſtiſſima conjux,
Ora rigans lacrymis, et fundens corde dolores.
Nec lacrymis ſatis eſt tantum deflere maritum;
Sed parat inſolitum dare magni pignus amoris;
Condere et æternum monumentum funeris umbris.
Scilicet occultum ſubter tellure Sacellum

Marmo-

Marmore de niveo format, quo conjugis urnam
Deponat. Pendet medio de fornice lampas;
Cujus non oleum, ſed fuſum ebuliit aurum,
In flammam exardens; neque ſorbet flamma metallum.
Hinc marmor circum radiis ferit aureus ardor;
Perpetuo cineres cincturus lumine Chlori.
Hos, inquit Mentor, poſt ſecula ſera repertos
Effodiens aliquis fulvos mirabitur ignes:
Dumque animo hærebit, cupietque exquirere cauſam,
Aëre flamma novo admiſſo turbata peribit.
Aſt alias, poſtquam gyrum conceperat intra
Aëra ſtagnantem Cryptæ, manſiſſet eodem,
In ſeſe revoluta, et in omne volubilis ævum.
Hæc Helena eſt Britonum regali ſanguine creta;
Et Magni genetrix; tacite jam læta, quod orbis
Accipit imperium natali filius Urbe.
Sic fatus Mentor ducit, qua curia regis
Tectorum molem, et faſtigia ſumma per auras
Attollit. Reddunt auro radiantia ſolem
Culmina; perque urbem longe viſenda relucent.
Hæc olim Ebranci fuerat, cum conderet urbem,
Regia; dilecta de conjuge dicta Bederna.
Veſtibulo aſtabat longævi regis imago;

Relli-

Kelligione ſacrata patrum; monitiſque deorum
Servanda; et caſus urbis ſervata per omnes.
Troïus hunc juxta Ænéas, qui ſanguinis autor.
Additur et proavo Brutus; qui litora linquens
Auſoniæ, victor noſtras pervenit ad oras;
Albioniſque ſuo mutavit nomine gentem.
Acer ibi Brennus ſtabat, fraterque Belinus:
Hic pacis ſtudiis; alter celeberrimus armis.
Demens qui Latio poſtquam Vexilla Britannûm
Intulerat; Martiſque urbem vaſtaverat igne;
Auſus erat Delphos temerare, et Apollinis aras.
Inde alios cernunt veteres ex ordine reges,
Reddiderat patriæ quos virtus ardua caros.
Atque en! Mentor ait, quos duxit imagine dignos
Priſca ætas; artes quippe invenere, feroſve
Mulſerunt dictis mores; aut utile quicquam
Vitæ monſtrarunt. Manibus qui pocula geſtat,
Hordea primus aquæ miſcebat. Proximus illi,
Fiſtula cui pendet collo, paſtoribus olim
Et victum, dulceſque ſonos monſtrabat avenæ.
Ignifer ille audax effoderat intima terræ
Viſcera: materiamque focis, uſumque metalli
Invenit. Panni textum hic, cui laniger agnus

Accu-

Accubat, edocuit ; denſare et pectine telas.
Haſce domi inventas Eboraca vendicat artes :
Sed Neptune tuo de munere jactat equinum
Accepiſſe pecus, tenſæ et moderamen habenæ.
Nam deus, ut fama eſt, habitam cum Pallade litem
Poſtquam perdiderat ; nec equi revocabile donum ;
Indignatus equos ſolum jactaret Achiva
Terra ſuos, caram quam cinxerat æquore, venit
Albionem. Exurgenſque lacu, quam Nympha colebat
Gorria, Naïadum pulcherrima, cuſpide montem
Adverſum triplici percuſſit : protinus ictu
Exilit acer equus ; raditque cacumina curſu.
Facti ſigna manent. Tunc ſic deus æquoris ; orbis
Annuus huc rapidi vocet ad certamina curſus
Eboracæ pubem : ſupra aurea ſidera equorum
Fama volet : cedantque illis noſtra Iſthmia ludis.
Hinc in veſtibulo medio, de marmore puro
Invehitur Neptunus equo ; quaſſatque tridentem.
Jamque Aulæ patuere fores : ubi ſede locatus
In ſumma Cæſar, patreſque duceſque vocarat.
Atque profecturus Romam ſermone tenebat,
De pacis bellique modis præcepta relinquens.
Inſuper Eborio hæc mandat ; venerande ſacerdos,
Chlorus, uti noſti, numen pater optimus unum

Supremum Cœlo terraque in vota vocabat.
Hinc aliorum omnes ritus, et ſacra nefanda
Cum tota evertit vani farragine cultus:
Ejecitque deos templis; proſtravit et aras.
Statque idem nobis animus. Quin dicitur ingens
Jam Delgovitiæ nemus, et delubra profana
Reſtare; et centum fumantes ignibus aræ.
Horrendæ hic voces, aiunt, formæque minaces
Concutiunt animos Vulgi; et terroribus implent;
Ne quis tot temerare deos, aut lædere templum
Audeat. Hæc autem tu tolle opprobria cœli:
Has ventis lemurum diſperge minaſque, doloſque,
Ac nemus, et templum flammis committe, deoſque.
Sic noſtris ſemper faveat deus optimus armis.
Jamque valete mei: nam Roma poſcor, et orbe.
Sed teneat quicunque locus, mea cura Britannis
Nuſquam aberit: nec ero patriæ, aut veſtri immemor unquam.
Sic ait: amplexuſque inter lacrymaſque ſuorum
Eboracum linquens iter ad Capitolia tendit.
Tunc ſic proſequitur dictis divinus euntem
Eborius. Decus î noſtrum. Deus optimus omnia
Fauſta ferat: cœptas et ſpes tu perfice noſtras.
Deinde hæc ad patres venturi præſcius addit.
Cæſaris eſt, noſtis, rerum nunc maxima Roma.

Sed

Sed neque Româ ſatis; neque mœnia magna Quirini
Sufficient animo. Condenda eſt altera Roma:
Atque Aſiam Europa qua dividit Helleſpontus;
Immenſam ſtruet ille novam cum mœnibus urbem;
Imperii ſedem, et caput orbis. Transferet illuc,
Quicquid in ornatum ſurgentis ſerviat urbis;
Exuvias belli, et ſpolia, et delecta trophæa,
Tybridis ad ripas quæ longa aggeſſerat ætas.
Ipſæ ibunt aræ; ſimulacraque ſacra deorum,
Non in tutamen, neque cultum, ſed decus urbis;
Quam ſtruet auſpiciis majoribus. Omnia ſupra,
Invicta accipiet de cœlo inſignia belli.
Jamque iter Eboracum linquens, duce Mentore, vates
Auroram verſus tendit; qua ſtrata viarum,
Vicinæque urbes lata Humbris ad oſtia ducunt.
Oſtentat primum lævâ Derventio muros:
Atque arces gemino ſtantes in vertice collis;
Radentemque latus fluvium cognomine dictum.
Illius ad ripas Cereri gratiſſima ridet
Pingui terra ſolo: duriſque exercita aratris
Triticeis turgent uberrima meſſibus arva.
Cæſaris has olim ſervabant horrea fruges,
In menſam, luxumque domûs regalis ituras.
Hic inquit Mentor; regni ſe ſolvere curis

Aſſuetus Chlorus; fumo et clamore relicto
Urbis, in optati cum cederet otia ruris.
His ſibi plaudentem conſpexi ſæpius arvis,
Flaventeſque inter ſegetes, et pinguia culta,
Auras captantem, et maturæ meſſis odores.
Ad ſolitos ludos, choreaſque vocabat agreſtes;
Præmia deponens; et partis cæde triumphis
Prætulit innocuas palmas, et ruris honores.
Magna etiam memini recitantem voce per arva,
O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! heu! quæ me, inquit, fortuna ſiniſtra
Ad rerum evexit culmen; placidamque quietem
Sero nimis, curaſque leves monſtravit agreſtum.
Tales præbebat Derventio priſca receſſus
Cæſari: at illam æquavit humo longæva vetuſtas;
Quaque arces ſtabant, nunc ſurgit pinea ſilva:
Sola manent Cereris vicinis munera campis.
Jam Delgovitiæ lucus, templique rotunda
Apparet moles, et thuris ad æthera nubes.
Hoc habitare deum nemore, et per ſecula longa
Ex antro reſponſa dari, pandique futura
Indigenæ memorant. Huc rebus preſſus acerbis,
Ebrancus ſupplex ſcitatum oracula venit.
Quam ſedem ſibi fata darent: ubi conderet urbem.

Spes

Spes regni ille novas, promiſſaque læta reportans
Vota pius ſolvit; delubro cinxit et antrum:
Incertuſque loco quodnam eſſet numen in illo,
Diis patriæ cunctis ſimulacra ſacravit, et aras.
Dum templi molem, fauces antrique tremendas
Mirantur, longo ſtantes et in ordine divos;
En! ſubito mugire ſolum; lucuſque moveri:
Et tremulæ viſæ vibrari in cardine valvæ:
Cum vox ex adytis pervenit talis ad aures.
Heu venit jam ſumma dies! has linquere ſedes
Cogimur. Incenſa hæc video ſuccumbere flammis
Tecta deûm; et pandi penetralia noſtra ſub auras.
Adventare ſcio, jampridem et ſcîſſe pigebat,
Cæſaris Eborium mandata igneſque ferentem.
Has non ille tamen, ſed rector ſævus Olympi
Evertit, nobis quas dudum inviderat, aras.
Jamque fuga eſt tentanda ſalus. Hos accipe curru
Tu, Neptune, deos: longeque per æquora vectos
Axe ſub Arctoo, Scythicæ qua litora terræ
Alluit Oceanus, ſecuras transfer in oras:
Cerno novas illic aras; nova ſurgere templa.
Hinc via digreſſos ducebat ad Humbris arenam:
Ultima qua ſtatio eſt, Prætoris nomine dicta.
Nil digni fallebat iter. Namque ardua nondum

Caſtoreæ

Caſtoreæ ad cœlum tulerant faſtigia turres,
Longe viſendæ. Fortiſſima mœnia nondum
Ornarant Hullæ ripas, aut oſtia claſſes:
Ævi opera alterius. Facies ſed frondea terræ
Una fuit: totamque plagam denſiſſima late
Tunc ſilva obtexit ramis: tutaſque latebras
Caſtoribus, ſæviſque lupis præbebat, et apris:
Et ſupra rauci tranabant æthera milvi.
Prætori in portu ſtabant, velut altera ſilva,
Romanæ claſſes, tuta ſtatione receptæ;
Quam moles ingens ſaxis et robore fixa,
In mare procurrens, ſævis defendit ab Auſtris
Oceanique minis. Fremit extra turbidus Abus;
Et fruſtra cumulos altos advolvit aquarum.
Romanis erat hic ſummæ res Nautica curæ:
Ad merces, ſive ad bellum ſpectaret, et arma.
Porticibus longis amplum, et ſublime columnis,
Ad portum ſtabat tectum ingens. Aurea cœli
Sidera lucebant laquearia ſparſa per alta.
Pleiades, Arcturus, nitiduſque Orionis enſis,
Tyndaridæque duo, et notiſſima navibus Arctos;
Et quæ ſigna ferunt obliquo tramite Phœbum,
Stellis apta ſuis: argumentum utile nautis.

Præterea

Præterea tecti faſtigia ſumma coronæ
Navales ornant: et monſtra marina columnas:
Aut pendent direptæ inimicis roſtra carinis.
Concilio nautas hæc intra limina Prætor
Convocat, ad dubii tractanda negotia Ponti.
Hic dirimit populi lites; ac jura miniſtrat.
Has bello aſſignat claſſes; atque inſtruit armis.
Mercibus has onerat longinqua ad litora ituras;
Quod teneant mandens iter: et quæ ſidera ſervent:
Quod referunt onus inſpectat: poſcitque tributa.
Maxima cura tamen (maneatque ea maxima ſemper)
Viribus impenſa eſt regni navalibus. Omnis
Texendis ratibus congeſta jacebat ad undam
Materies. Cæſa ex vicinis robora ſilvis;
Et paſſura novas pinus montana procellas.
Incumbunt omnes operi. Pars tollere malos,
Aut aptare parant antennis linea vela;
Aut remos legere; et propriis diſponere tranſtris:
Pars funes trahere; et longos torquere rudentes;
Ictibus aut crebris rimis impellere ſtupam.
Hi puppes auro decorant; aut ærea roſtra
Affigunt proris. Alii navalibus unctas
In mare deducunt certo clamore carinas.

Fervet

Fervet opus; piceuſque aſcendit ad æthera fumus.
Hæc inter; ſubito en! omnes conſurgere motu,
Linquentes opera; et concurſu ad litora magno
Accelerare viam; ripaſque implere catervis.
Scilicet haud ulla ventis ſpirantibus aura;
Tempeſtas cœlo nulla; et ſine nubibus aër;
Sponte tamen tumido cœpit turgeſcere fluctu
Abus; et inſolitis tolli ſtridoribus æſtus.
Extemplo curru delatum flumine ab Uro
Neptunum aſpiciunt, divoſque et ſacra ferentem
Ex Delvogitiæ flammis, templique recenti
Servata excidio. Furit ille; cietque tridenti
Ex imo fluctus; dum pervolat axe citato
Veloceſque rotæ jactant aſpergine nimbos.
Stat longe fugere: et gelido ſub cardine mundi,
Siqua fata ſinant, promiſſas quærere ſedes:
Siſtat ubi Exilii comites tutoſque reponat.
Hinc Abum rapide ſecat: oceanoque potitus
Læva flectit equos; curſumque intendit ad Arcton.
Subſidunt extemplo undæ; et componitur æquor.
Jamque amor arripuit, nec erat via longa, videndi
Planitiem latam Oceani; qua tollit Ocellum
Rugoſam frontem; et ſubjectas deſpicit undas:

Erran-

Erranteſque rates nocturno dirigit igne.
Attigit has oras olim Laërtius Heros,
Mentor ait. Poſtquam alta ſuo de nomine dictæ
Litore in adverſo jam mœnia ſtruxerat urbis.
Sed fata arcebant longe: profugumque per undas
Neptunus primum ſævis huc impulit Euris.
Quin ea, ſi fas ſit, paulum mihi tempora reddas
Oro, ait Alcæus. Detur ducis ora tueri
Dulichii, nigramque ratem, quæ litore ſtabat
Sigæi, Argolicas inter notiſſima claſſes.
Ille etiam noſtra forſan de gente ſub umbras
Audieret quicquam. Saltem pauliſper ad auras
Ire juvet ſuperas; notamque reviſere terram.
Extemplo viſa eſt remis, veliſque per æquor
Adventare ratis, curvamque appellere proram.
Stans ſumma in puppi caute luſtrabat Ulyſſes
Totum oculis litus: clades recolenſque priores
Ignotæ metuit temere ſe credere genti.
Eurylochum tandem mittit, fidumque Politem
Biſque decem ſocios addit; qui munera terræ,
Et quales habitent populi, et quo nomine dicti,
Explorare queant. Tum lente incedere mandat;
Atque viam digito monſtrat, qua ſcandere litus

Clivoſum expediat: dictiſque hortatur euntes.
Illi autem haud longo celeres poſt tempore greſſus
Præcipitant pavidi ad navem: clamatque Polites
Tollite vela citi; noſque hac abducite terra.
Albion hæc tellus; Neptuni filius ingens
Albion hanc nuper tenuit; ſtirpemque reliquit
Immanem. Incurrunt jaculantes vaſta lacertis
Hirſutis ſaxa, aut vulſis radicibus ornos.
Antiphatæ qualis furor, horrendique Cyclopis.
Vix ſumus elapſi: nunc et fugientibus inſtant.
Excipiunt ſocii; proramque a litore torquent.
Tunc ſic cedentem compellat Mentor Ulyſſem.
O Laërtiade; bis nunc his advena terris:
Hoc te ſcire quidem prohibent oblivia Lethes;
Quæ tamen hic adimo. Tibi præſens inſuper ævum,
Et res oſtendo, ſiqua eſt ea gratia, noſtras.
Reſtitit his Ithacus dictis; et lumina circum,
Ceu ſomno excuſſus, volvens, in Mentore tandem
Fixa tenet; revocanſque animum ſic ore profatur.
O Dea! nec quiſquam divûm ſe celet ab umbris:
Nec divûm eſt alius, qui manes ducat ab orco.
Nunc memini ſævis Neptuni fluctibus actam
Hæc olim noſtram veniſſe ad litora puppim:

Haud

Haud impune quidem : ſic tunc mea fata ferebant.
Poſt Ithacam vero jam non mihi gratior ulla eſt
Eboracâ tellus, illamque reviſere lætor :
Elyſio quantum placeant humana potitis.
Scilicet hanc vates Thebanus ſæpe ſub umbras
Laudibus haud modicis ardens efferre ſolebat.
Sæpe recenſebat populos, et munera terræ,
Egregiaſque urbes, et fortia facta virorum.
Me ducens etiam Elyſii per amœna vireta
Sæpe animas, memini, Heroum monſtravit ituras
Lumen ad Eboracum ; patriæ decora alta futura.
Has vidi impleto redeuntes munere vitæ :
Tireſiamque umbris dantem ſolatia mœſtis
Audivi, ſpe manſuræ per ſecula famæ ;
Scilicet æthereas ſi quando attingeret auras
Memmius, Eboracæ muſas laturus in oras.
Quanti autem Muſæ ; et quam dulcis fama ſepultis,
Mœonides mihi ſcire dedit ; gratuſque recordor.
Sed me dura vocat Proſerpina. Dixit, et auras
In tenues ſubito ex oculis dilapſa figura eſt.
Mœonium ad nomen dejecit lumina Mentor.

## ARGUMENTUM

### LIB. II.

*Ab Ocello Mentor et Alcæus cymba vecti ad oſtia Dani amnis perveniunt. Merſa, inſula in Humbre. Danus incipit narrare bellum inter Brigantes et Romanos : Hos nempe a Cartiſmandua Venuſii regis uxore inſtigatos ſub A. Didio Proprætore caſtra ſua in Dani ripa poſuiſſe. Adverſus eos Venuſius rex Brigantum exercitum parat. Confluunt ad regem ex omnibus Eboracæ partibus auxilia. Hinc inducitur locorum variorum et hominum Deſcriptio. Segonax cum filio Arcade, et Sabella. Cnarus. Clivia, Rypæ, &c. Quercus vetus in nemore Galaterio. De eventu belli oraculo conſulto Venuſius refertur ad clypeum Trojani Bruti ſub Armorum-clivo reconditum. Hunc precatus Jovem obtinet. Atque in eo præſentis belli ſucceſſum, et res a poſteris ſuis gerendas mira arte cælatas conſpicit.*

DEſerit Oceanum, et clivoſi litus Ocelli ;
Ac cymba vectus ſecat Humbris cærula vates ;
Dat Mentor velis auras ; clavumque gubernat.
Hunnorum, ut fama eſt, hoc merſi gurgite regis
Nomen aquæ retinent ; nomen Merſa inſula facti.
Hanc fugiunt pavidi nautæ : quam nempe ferocis,
Credere ſi fas eſt, umbra irrequieta tyranni
Servat adhuc : erratque ingens per litus imago.
Cum ſua forte mari jactata, inhumataque cernit
Oſſa ; et relliquias fieri ludibria ventis ;
Tunc fati impatiens implet clamoribus oras ;
Portentum nautis : Tutum quibus invidet æquor,
Non ſibi conceſſum ; puppeſque immergere eodem

Exop-

Exoptans, ſævas ciet indignata procellas.
Hanc dextrâ linquunt; lævâ Coritania regna;
Ter denoſque amnes volventem flumine Trentam.
Jamque Uro ſubeunt: jam proximus accipit alveo
Amnis amœnus aquæ, et curſu leniſſimus Arus.
Hunc intra pandunt aliæ ſe protinus undæ;
Et limoſa ſenex ſua ſtabat ad oſtia Danus;
Cinctus arundinibus crines, et frondibus Alni.
Exuperanſque humeris undas, ſic incipit ultro.
O dea! nam coram agnoſco: nec fallit imago
Mentoris. Et nobis nuper narraverat Urus
Te comitem Alcæo noſtras inviſere terras:
Romanumque ævum Eboracæ monſtrare per oras.
Ne me prætereas, oro; qui carmine digna
Profero: qui memini quanta virtute movebant
Arma ſua veteres pro libertate Brigantes:
Cum primum bello peterent hæc regna Quirites
Fruſtra; tentarentque meas evadere ripas.
Flumine adhuc volvo galeas, et ſcuta virorum.
Des, oro, veniam, dum res has ordine pando.
Audiat ut vates; et carmine tollat ad aſtra.
Intenti reſident cymba: Danuſque profatur.
Adverſo poſtquam cecíderunt marte Britannûm
Ductores primi; patriæque Caratacus ingens

Defecit

Defecit columen; ſenſim et langueſcere bello
Cœperunt vires: tanto magis ingruit hoſtis,
Romanique novos conati extendere fines.
Hactenus immunes belli ſub rege Brigantes
Venuſio longæ peragebant otia pacis.
Illi erat imperii conſors lectique jugalis
Cartiſmanda ferox. Magnum illa Heroa Silurum
Caratacum fractum bello, auxiliumque petentem,
(Dedecus heu) pacto Romanis prodidit auro!
Inde auſa eſt ultra: vetitoſque ſecuta Hymenæos,
Turpe Velocati ſcandit manifeſta cubile.
Hinc odiis populus, linguiſque laceſſere acerbis:
Sumere deinde iras; inviſam et pellere regno.
Illa furens vocat auxilio externa arma; ducique
Romano Didio (quod vix ſperaverat ille)
Vincendam ſpondet patriam, facileſque triumphos.
Interea volvit varias ſub pectore curas
Venuſius; regnique animo diſcrimina verſat.
Notum quid Didius captet: quid fœmina vindex
Audeat: atque velint quid caſtra movendo Quirites
Belli ergo ſignum ſumma rex extulit arce;
Et notum Ebranci vexillum pandit ad auras.
Tutandæ patriæ velox it fama per urbes
Eboracas; ardetque animis excita juventus

Effera-

Efferaque arma rapit; poſcitque in prælia duci.
Jamque novant ignes per noſtras oppida ripas;
Et ferri incumbunt operi; folleſque fatigant.
Mille ardet Sephilæa focis. Fornace liqueſcit
Montibus effoſſi vicinis Maſſa metalli:
Et longe reſonat glomeratis ictibus incus:
Nec limæ aut cotis ceſſat labor. Inſuper arma
Ante oculos fabri ponunt Romana; notantque
Mutandum ſiquid; ſeu ſint exempla ſequenda.
Tela parant omnes; et agunt præludia pugnæ.
Venuſius tanto motu ferveſcere lætus
Regna videt: felixque omen ſub pectore verſat.
Jamque audire juvet, quas tempora priſca tulerunt
Egregias animas, et bello nomina magna.
Qualibus atque armis; quibus et venientia terris,
Quoſque ſecuta duces complerint agmina campos.
Arma rapit primum noſtræ gens accola ripæ
Daunia: quam Daunus cari poſt funera Turni,
Laurentum fugiens, et Teucris obſita regna,
Has ſecum pelago vectam trajecit in oras.
Hic metam exilio, ſedes ſociiſque quietas
Invenit: celſam et cognomine condidit arcem.
Ducit mille viros fortiſſima ſanguinis ejus
Progenies; gaudens et avito nomine Turnus.

Hi nemorum aſſueti venatu, et cæde luporum,
In manibus torquent lato venabula ferro.
Demiſſam ex humeris pellem gerit ille lupinam
Faucibus inſeritur vultus; torvumque tuetur
Horrendo malas albentes inter hiatu.
Inſignit clypeum fulvus lupus ore cruento.
His Camboduni fundator Clavius urbis,
Acer in arma ciens populos, ſocia agmina jungit.
Qui juga celſa colunt; atriſque a montibus infra
Proſpectant procul Oceanum, ſoleſque cadentes.
Qui fontes longe noſtros, et Caldris et Ari,
Verbeiæque bibunt, undas medicaſque Olicanæ,
Malternumque lacum. Quos vertice nubifer alto
Pengentus, celſiſve jugis arx Clifforis ingens
Deſpectat populos. Hos protulit aſpera duros
Terra viros: ſolitique graves librare bipennes
In patrias pinus, eadem arma in bella ferebant.
Poſt hos Arviragus ferratos æquore campi
Exercet currus, et acutos falcibus axes;
Carataci magni comes; et pars altera belli.
Legerat ille acies fractas, cladiſque Siluræ
Relliquias; ſortemque gravem miſeratus amici,
Ulciſci ſiqua poſſet, Brigantibus ultro
Auxiliumque animoſque tulit. Mille eſſeda ducit:

Oſten-

Oſtentatque rotas Romano ſanguine tinctas.
It comes huic pulcher Segonactis filius Arcas;
Haud læta fronte; atque haud mollia juſſa ſecutus.
Arſit enim duro correptus amore Sabellam;
Quæ gelidas tenuit Lavatras, et juga celſa
Ad ripam Teiſis protenſa, Timaonis hæres.
Illa averſa procis, ſilvas monteſque colebat:
Et canibus ſolita eſt, ſtudiis aſſueta Dianæ,
Venatrix agitare feras; aut figere telis.
Per ſilvas autem aſſiduum, monteſque per altos,
Nuſquam non illi comitem ſe præbuit Arcas:
Et longum fovit (quid non ſperaret) amorem.
Increpat hunc Segonax acerrimus: otia ruris,
Venatûſque inquit, ludos hæc tempora poſcunt,
Cum tota in caſtris jam fervet Eboraca pubes?
Dedecus antiqui generis! non te mihi talem
Promiſit natum Caratacus; Aſmida pulchram
Cum daret in thalamos cinctam enſe, haſtamque ferentem.
Occidit heu! vidi funeſto vulnere ſtratam;
Sed tamen ingentes Romanorum inter acervos.
Moverit et noſtram te non leve nomen in armis;
Ætas dum ſineret, validæque in corpore vires.
Teſtantur dextram hanc aula pendentia noſtra
Scuta virûm, galeæque, immaniſque haſta Soraxis,

Quem Cataractoni fudi ſub mœnibus altis,
Agros vaſtantem ſoceri, prædaſque fugantem.
Quin age: cunctantem nec te lux craſtina cernat.
Caſtra pete: et denſis armatum te inſere turmis.
Mille pharetratos addam Salonis ab amne,
Qui certa intorquent adductis ſpicula taxis.
Tuque ſub Arvirago bellandi diſce labores;
Militiamque pati; accendique cupidine laudis.
Audiit arma ſequi; et tentare pericula Martis
Arcada; diſceſſumque dolet lavatria virgo:
Et tunc abſentis ſe primum novit amantem.
Æſtuat; ac ſilvas linquens, ſaltuſque ferarum,
At ſolum in cervos, inquit, mea tela feraſque
Sufficiunt? aliquid nec dextra hæc audet in hoſtem?
Hoc Aſmis potuit: mea nunc ſunt Aſmidis arma;
Mœrentis donum Segonactis. Quis deus intus
Suggerit auxiliis carituram forſitan illis
Arcada bellantem? Maternis forſitan armis
Ipſa caput carum poſcor defendere nati.
Quicquid id eſt; monitus ſaltem hos ſatiaſſe juvabit.
Hæc ſecum virgo: fulgentiaque arripit arma:
Suſpenditque humeris arcum, fidaſque ſagittas.
Illam equitum pharetrata cohors in caſtra ſecuta eſt.
Obſtupuit Segonax mirandæ virginis auſis:

Seque

Seque domi incuſat pereunti parcere vitæ.
Deinde enſem annorum oblitus, clypeumque requirit:
Et deſueta artus ſuperinduit arma ſeniles.
Lucet in ore vigor; fervetque in pectore virtus:
Et nomen dedit auxilii, quantum abſtulit ætas.
Qua nubes ſupra duplici ſe vertice tollit
Aërius Micalus, deſpectans dulcia Tempe
Malloridum, Rypas placidas, Scaldiſque fluenta,
Olim ſacra fuit ſedes, ita fama, Camenis.
Quando etenim Druidæ veteres, Bardique Britanni
Tentarent primum numeris componere verſus,
Indocti; auxilio Muſæ venere vocatæ:
Atque hoc delegere jugum. Mons nempe bicornis,
Altus, ſaxoſus placuit, lauroque vireſcens;
Omnia Parnaſſo ſimilis. Denſiſſima cinxit
Silva pedem: viſcique ſacri, nemora inter opaca,
Plurima frondebat Druidis gratiſſima virga.
Jamque rudes illi verſus mollire; lyraque
Heroum laudes recitare, et fortia facta.
Quin etiam leges numeris, præceptaque vitæ
Ornabant, ſuavi mulcentes carmine mores.
Nec non morte carere animas, vitamque canebant
Degendam orbe alio; ridendaque mœſta ſepulchri.
Addiderant ſoliſque viam, Lunæque labores,

Oceanique æſtus, occultaque ſemina rerum.
Tanti Muſarum fuit hæc vicinia Bardis.
Barbaricæ tandem gentes, indoctaque ſecla
Arcebant longe Divas, ſcis Mentor; et omnes
Extemplo lauri langueſcere; ſilvaque frondes
Decuſſit moriens; periitque in robore Viſcum.
Stabat at hæc ſilva; et nondum fugere Camenæ;
Cum peteret vates Rypenſis Eboraca caſtra.
Ille lyra fretus, patriæque accenſus amore,
Belli ibat teſtis; virtutem tollere cantu
Pollicitus; laudeſque in duro marte cadentum
Carmine vecturus ſupra aurea ſidera cœli.
Dicitur ante alias olim coluiſſe Diana
Rypæas ſilvas venatrix. Illius ara
Hic fuit: hic denſus prope Scaldis flumina lucus;
In medioque antrum; atque adytis oracula ſacris.
Hæc ſolum caſtas ſcitari impune puellas
Paſſa dea eſt: nullamque ſuæ miſcere catervæ
Dignata eſt nympham non hinc reſponſa ferentem.
Huic tandem, ut fama eſt, irrupit bellua luco
Immanis; media extabat cui fronte recurvum
Cornu ingens; ſtravitque nemus; temeravit et aram:
Nec ceſſit, donec telis confoſſa Dianæ.
Tunc vox ex adytis ſervatis edita monſtri

Abſciſſum cornu Rypæa a gente monebat
Relligione ſacra ſervandum; nempe futurum
Præſidium rebus per ſecula ſera nepotum.
Jamque hoc inſonuit Micalo de vertice cornu,
Signa canens belli. Raucus furit æthere ſtridor:
Et reſonant Uri ripæ, ſilvæque profundæ;
Saulenique juga, et gelidæ deſerta Patellæ.
Audit, et arma omnis pubes Rypæa capeſſit:
Et ſeſe agglomerat ſignis; bellumque requirit.
Ferreus eſt illis arcus; chalybiſque retorti
Effera vis; plumbi glandes, aut ſpicula jactans.
Supra Uri fontes, celſiſque in montibus orta,
Gens hyemis patiens, aſſuetaque vivere parvo,
Vencedalum ſequitur: qui Bracchî condidit arcem;
Herculeaque ſatam jactabat origine ſtirpem.
Ante ædes ingens Alcidæ ſtabat imago.
Et vetus incubuit fumanti populus aræ.
Deque deo multum referens, et claviger ipſe
Incedit; ſpolio ex humeris pendente leonis.
Hirſutis pariter ſocios ducebat amictos
Pellibus; et duro geſtantes robore clavas.
His addit comites, pinguem quibus irrigat Urus
Flumine Vencedali dictam de nomine vallem:
Qui Maſſam, Bedelamque tenent, Midlæaque caſtra;

Et

Et nondum Danico fecundos ſanguine campos.
Qua ſeſe attollit regio Salonis ad amnem;
Nomenque ex opibus Monti, fecunda metallis,
Indidit; in bellum turmas ducebat equeſtres
Impiger Arviſtus, patrio omnes ære micantes.
Ille armis paribus, nutante et caſſide pluma,
Dorſa premit ſpumantis equi; frænoque ferocem
Et ſtimulis ſubigit; ſeſeque oſtentat, et artem.
Namque is præcipue pecoris ſtudioſus equini,
Magna per aërios ſaltus, colleſque virentes
Paſcebat late armenta. Et cum ſigna movere
Inciperent acies; abitumque in caſtra pararent,
Ortus, uti mos eſt, diſceſſu hinnitus equorum
Salonam implevit vallem: cui protinus omnis
Per juga, per ſilvas reſpondit equina propago:
Accurrenſque alto ſe oſtendit vertice montis.
Agmina pulchra ruunt; et tundunt calcibus auras;
Exultantque jugis; raduntque cacumina curſu.
Agnoſcit tacite gaudens Arviſtus; et inquit,
I pecus, i noſtrum: quales Epidaurus alebat
Aut Epirus equos; atque olim Graia juventus
Elei plauſit ſudantibus æquore campi.
Pingui terra ſolo, pecorique et meſſibus apta,
Armabat duros vallis Mobræa colonos.

Quorum

Quorum Viſca rigat campos; aut imbribus auctus
Hybernis ſaturat limoſo flumine Salo.
Qui Threſcam, Allertamque tenent, Clivumque ſuperbum
Progenie Heroum; magna incunabula gentis
Percææ. Silveſtre ſolum qui per juga montis
Hamilii longa extenſum regione colebant,
Solibus adverſi occiduis. Quos Clivia dives,
Et Teiſis ripæ, vel nautica miſit Iärmus.
Hos late populos Mobris ditione regebat,
Dives agris, ataviſque potens, inſignis et armis:
Jamque in bella trahit. Micat omnibus æreus enſis,
Caſſiſque clypeuſque; haſtis micat ærea cuſpis;
Atque ex ære cavo parti globus additur imæ.
Hos acies orbes ſi quando quaſſat ahenos,
Horrendis ſtridor tinnitibus aera ſcindit:
Imaque pertentans præcordia territat hoſtem.
Tunc quas Iſurium, ſedes præclara Brigantum,
Miſerat, inſtructas acies ducebat Aſylas.
Condidit has olim, ut perhibent, Mulmutius arces:
Qui populo leges, Diviſque altaria ſanxit.
Primus et auſus iter per denſas pandere ſilvas,
Per juga, per ſaltus, per limoſaſque paludes,
Congeſto ſabulo multo, et magno aggere ſtructo,

Quatuor

Quatuor hinc longe tendebat ſtrata viarum,
In fines regni extremos. Quia faverat auſis
Mercurius, totidem rex illi immania Saxa
Quadrivio poſuit, geſtantia quatuor Hermas.
Silveſtres late populos, quorum alluit oras
Hinc Niddus præceps, illinc Verbeia, regebat
Contemptor ſuperûm Cnarus: celſamque minaci
Impoſitam rupi cognomine condidit arcem,
Tutamen ſcelerum. Quin jam tædebat et arcis;
Inviſamque domum fugiens in bella ruebat;
Si poſſet ſævas caſtris abrumpere curas.
Scilicet, ut memorant veteres, dum forte Meliſſa,
Pulchra comes Triviæ, nemora inter denſa fugacem
Venatrix ageret cervum: prædæque cupido
Duceret incautam fallacis in avia ſilvæ.
Jam ſola, amiſſis ſociis, fruſtraque vocatis,
Hac, illac, nemorum decepta ambage vagata eſt.
Conſpicit errantem, diraque libidine raptus
Affert vim Cnarus danti lachrymaſque preceſque,
Teſtantique deos, et vindicis arma Dianæ.
Dein ſceleris compos verba hæc aſperrimus addit:
I nunc; et teſtare deos, dominamque Dianam.
Illa hominum viſus fugiens, celare pudorem

Quære-

Quærebat latebris: et mœſtas ſola querelas
Fundebat ſilvis. Tandem autem victa dolore,
Atque amens animi, ſe Niddi ſiſtit ad amnem;
Raptoris contra muros. Tum perſonat auras
Ingenti luctu: et diris clamoribus implet.
Ultoreſque deos cœloque Ereboque profundo
Invocat: impatienſque dolorum horrenda precata eſt.
Intremuere undæ: Nidduſque exterritus hæſit.
Ter ſol attulerat lucem; ter ſidera noctem;
Cum nymphæ vires jam defecere querelas;
Et voce extincta, ſolum lacrymare liceret.
Tunc Phæbe immeritos famulæ miſerata dolores,
In Saxum mutat, fletu remanente, Meliſſam.
Protinus ultricem ſcelerum ſtygia evocat unda
Tiſiphonen: Monſtratque nefandi mœnia Cnari.
Nymphæ clamores, importunaſque querelas
Audierat raptor; ſubitumque in pectora lapſum
Senſerat iratus frigus: puduitque moveri.
Jam vero aſtabat, crines implexa colubris,
Tiſiphone; volvitque acies infenſa rubentes;
Horrendum ore tonans. Dein terque quaterque rotatam
Sanguineam tædam Cnari conjecit in ora:
Peſtiferumque anguem ſonti ſub pectore fixit.

Hoc ait ; hoc Hecates donum pro virgine rapta
Accipe. Tum retro veſtigia ſæva retorſit.
Horreſcit monſtro Cnarus : victuſque fatetur
Eſſe deos ; et quid majus mortalibus auſis.
Poſtquam autem in pectus furialis reſperat anguis ;
Cœperat et ſævo præcordia rodere morſu ;
Tunc pudor, et dolor, et ſcelerati injuria facti,
Pœnarumque metus, noctiſque inſomnia mentem
Præcipitant. Super hæc ; cum primum mane videret
Adverſa in ripa lacrymantem ſtare Meliſſam
Jam Saxum ; et ſceleris monumentum infame futurum ;
Non tulit : at ſua tecta fugit miſer, arma requirens :
Statque mori bello ; et triſti ſe devovet Orco.

Ibant in bellum populi, queis Calder et Arus
Fecundant terras, interlabentibus undis.
Illis cura fuit fuſum tractare, columque ;
Pectine denſare, et radio percurrere telas,
Lanicii expertis. Celebrataque numina ab illis
Maxima, Pan ovium cuſtos, telæque Minerva
Inventrix : docuit pelles quæ prima ferarum
Mutare hirſutas molli lanugine panni.
Villæ tunc tenues, et culmina ceſpite tecta
Hac arte in celebres urbes, opibuſque ſuperbas

Crevere

Crevere ; a toto quæſitis mercibus orbe.
Seu memorem Vigilam pulchram ; ſævamque ſecuri
Hallifacem ; aut Leodam florentem divite cive ;
Quotque opulenta ornant nunc illos oppida rivos:
Comodolum, Calonnmque duces Turnumque ſequuntur
Lethamidem populi; pulſat queis fluctibus oras
Hybernis Aquilo ; Dunum inter et oſtia Teiſis.
Quique colunt montes, quos Clivia alumine plenos
Attollit cœlo, aut gravidos nigrante Gagate.
Una ingens Vitbeia manus ; Mulgravaque pubes :
Quoſque ſinus miſit latronis nomine dictus.
Mos erat his populis in bellum aptare Gagatem,
Armorumque uſus. Multa namque arte politum
In Parmas, galeaſque cavant, thoracas et atros :
Diraque lux armis adverſo ſole relucet.
Pars læva geſtant, illis quæ plurima campis
Sparſa jacent, mirum! revolutis Saxea ſpiris
Corpora ſerpentum. Terrores ſquameus orbis
Projicit horrificos ; ceu tolleret ægida Pallas.
Deſcendunt acies patriis a montibus atræ ;
Ceu nubem cœlo quandoque nigerrimus Auſter
Denſatam pluvia, nimbiſque impellit opacam.
Adde quot Osbaſten, piſcoſaque litora Filæ,

Celſaque linquebant Neptunia mœnia Scauri;
Impoſitamque jugis arcem; quam rector aquarum
Tutamen nuribus fertur poſuiſſe Britannis;
Annua dum celebrent in litore ſacra Saluti.
Ex ſpecula rutilus per noctem Semeris ignis
Jam bellum oſtendit. Rubet æther, et unda relucet
Derventa. Attoniti ſigno præſagia dira
Percurrunt animis agreſtes: oppida quorum
Lucinæ vallis viridantia paſcua cingunt.
Lucius antiqua Pereduri ſede potitus
Hos rexit populos: miſſuſque per oppida notus
Annulus it, ſacrum Pereduri inſigne tyranni,
Juſſa ferens, tota ut regio conſurgat in arma.
Vallis et arma rapit Reio de flumine dicta,
Muneribus pinguis Cereris; ſimul agmina mittunt
Helmeti populi, nemeroſaque rura Rivallæ.
Inſtrumentorum fabricatrix Malta colonis
Utilium jam mutat opus; neque format aratra,
Nec juga curva boum, aut dentati pondera raſtri.
Pro Cereris plauſtris ſunt bellatoribus apti
Confecti currus; et acutis falcibus axes;
Longus et ærata tenuatur cuſpide temo.
Arboream faber in certos accommodat uſus
Materiem totam. Validam dat fraxinus haſtam;

Dat contos abies; nodoſaque robora clavas;
Dat buxus parmas; et lenta haſtilia cornus.
Garrabiis paſtor Corydon in montibus altis
Lanigeras paſcebat oves; curiſque ſolutus
Sæpe ſua longos fallebat arundine ſoles.
Ut vero fremituſque virûm, ſtrepituſque rotarum
Audiit; hinnituſque procul crebeſcere equorum;
Mens præſaga metu gelido præcordia ſtrinxit.
Mox equitem curſu vectum properante rogabat;
Heu! celeris quæ cauſa fugæ? quo cardine rerum
Vertimur? inſolitus quis regni motus? at ille,
Bellum, inquit, bellum, et Romanos nuncio noſtris
Finibus inſtare; et jam Dani inſidere ripæ.
Nec plura: urget equum ſtimulis; linquitque paventem
Paſtorem; et tremulas tendentem ad ſidera palmas.
Jamque excita omnis regio, cui litora fluctus
Proluit oceani ſævis agitatus ab Euris:
Atque hinc Humber atrox, illinc Derventio claudit.
Gabrantes primum arma movent; gens incola rupis
Protenſæ longe in pelagum: cui turbidus æſtus
Incaſſum furit a tergo; ſed tutus ad Auſtros
Curvatur ſinus, et ſtatio tranquilla carinis;
Quam dedit Eulimenæ ſervandam cærula Doris.
Iſtam intra rupem, vivis ſuffulta columnis

Nereidum domus, et Thetidis ſunt oſtia Divæ.
Divitis Oceani gaza tectum omne relucet;
Clarum auro, nitidoque oſtro: laquearibus altis
Gemmarum rutilant ignes; dum mille colores
Concharum ſeſe variant. Ibi lucida centum
Cæruleæ, memini, tenuere ſedilia nymphæ.
Viſa etenim refero, procus hæc cum limina adirem;
Et Ventam Doris daret in connubia noſtra.
Quin etiam ſedes illas viſiſſe recordor,
Neptuno genitum, et genitoris nomine dictum
Plecthona: cui thalamis junxit Vipſeida Doris
Naiada, non certo ducentem ex fonte fluentum,
Sed cui Vipſæas mater commiſerat undas;
Quas variis fundunt Voldæ vicibuſque lociſque;
Quando intus nimium hybernis humoribus auctis,
Proſiliunt montis perruptis flumina coſtis.
Gabrantæa ducem gens illum in caſtra ſecuta eſt.
Linquentes pelagum, vacuaſque in litore puppes,
Jam duci poſcunt alacres in prælia nautæ;
Frænati manus omnis; idem manus omnis agreſtum;
Qui declive ſolum Voldarum vomere ſulcant;
Aut infra pinguem vertunt per litora glebam.
Ceſſat cura boum, et curvi labor omnis aratri;
Et quod habent ferri formant in tela coloni,

Armo-

Armorumque uſum. Falces pars curribus aptant:
Pars longo infigunt conto; librantque lacertis.
Aut tribulas alte vibrantque rotantque per auras;
Haud Marti notum, ſed inevitabile telum.
Ante omnes grandi inceſſu Rud vertitur ingens;
Et manibus quaſſans armatam vomere pinum,
Romanum ridet pilum. Comitantur et illum
Agneſius, Vilobuſque duces, unaque Lyranus
Infelix; quippe ominibus vetita arma ſecutus:
Nuper enim cithara inſonuit ter nocte ſilenti,
Inter avorum urnas, ſolito de more, Lyranæ
Fata minans genti; monitis immotus at ille
Abnuit augurium patriæ præponere amori.
Agmina per bimarem cogit Locrinus Ocellum
Atque ciet reſides populos acerrimus armis.
Hunc delecta manus ſequitur, Prætoria linquens
Mœnia, et extremam, quæ prodit in æquora, terram.
Quique ſacram Oinotopum Baccho, Burtamque ſuperbam,
Roſſaque rura colunt, humentemque Heddona, nautis
Tunc notam, et Pagulam cedentem fluctibus Humbris.
Rycea quos miſit nemoroſa; et Corneus altrix
Cycnorum lacus; et quæ nunc ſita margine ponti
Cornea, temporibus priſcis, ita fertur, ab undis
Oceanique minis longe diſtabat: at uſum

Indigenæ Cornûs poſtquam invenere recurvi,
Heu! nimio inflandæ correpti buccinæ amore,
Extemplo rauco Tritona laceſſere cantu
Cœperunt; auſi in certamen poſcere Divum,
Æquoreæque novos ſtrepitus opponere conchæ;
Dementes. Neque enim tulit hoc, ſed litore rupto
Immiſit Triton pelagum: terraſque viroſque,
Cornigerumque pecus turgentibus obruit undis.
Limes erat cladi; nomenque recepit ab illa,
Cornea; vix jam tuta, fretum tollentibus Euris.
Hi norunt populi cornu fornace liquare,
Cum ſucco herbarum, cum calce, lupique cruore
Commixtum. Ex illo belli formantur in uſus
Indurata arma; haud ulli cedentia telo.
Corneus hinc illis thorax, et cornea caſſis,
Scutaque, vaginæque, haſtarum et cornea cuſpis:
Ad ſonitum rauci procedunt agmina cornûs:
Accenditque animis rabidum cava buccina Martem.

Jamque Hullæ ad ripas legio conſurgit agreſtum;
Præcipue queis cura boum; queis magna virentes
Per campos armenta errant: ubi pinguia prata
Irrigat amnis, aquis ulvaque et arundine tardis.
Tunc nudæ ripæ; et fine mœnibus exiit Hulla.
Quis vero ignorat jam pulchram Caſtoris urbem

Hinc

Huic aſtare amni; et mirandi culmina fani?
Quiſve Hulli ingentes muros, et fulmina neſcit;
Velaque ab utroque in portum redeuntia ſole?
Tanta rotat tempus; mutatque volubilis ætas.
Tunc equidem ſilvas habitabat dura juventus,
Venandi ſtudiis aſſueta: hinc frigus, et æſtum
Docta pati; et belli tolerare parata labores.
Pellibus hirſutis, ſpoliiſque induta ferarum
Exibat ſilvis legio. Et venabula quaſſans,
Bella vocat; ſolitiſque implet clamoribus auras.
Sed cohibent iras; et corda tumentia mulcent
Hotamnus, Gæuſque, ariſque Moſerrus amicus
Ductores; bellique docent legeſque, modoſque.
Tum rapit, inſignis formaque et ſanguine priſco,
Clifforis in bellum Pariſos. Atque agmina formant,
Qui Delgovitiæ ſacra intra mœnia lucum
Horrendum tenebris ſervant, adytumque tremendum
Delubri; certa unde ruunt reſponſa Deorum.
Centum aræ fumant; foribus vox reddita centum.
Una Hodenna cohors: et quos de vertice collis
Planitie undoſa degentes Holmia ſpectat.
Hinc qui Derventum ſecus amnem pinguia culta
Exercent. Quos turrigeris de mœnibus alta
Mittit in arma viros Derventio; Garrabiumque

Agmen ; et ad Zephyros inclinati accola montis.
Ecce ! inſperatus jam regia tecta ſubibat
Cymbelin, inſidiis nuper furiiſque novercæ
Elapſus : quem Venuſio juvenilibus annis,
Spem regni magnam peperit Guideria conjux.
Accurrit genitor, reducique dat oſcula nato
Illacrymans : lætoque omnes clamore receptant.
Ceſſerat huic ingens, et inexpugnabile caſtrum
Ponfracti, matris donum. Parebat et ampla
Imperio late regio ; pulcherrima tellus,
Nobilibus repleta viris, tectiſque ſuperbis :
Et ſilvas, amneſque ſuos jactabat, et auras ;
Nec non pingue ſolum, et flaventia frugibus arva.
Hinc ſeſe accingit bello fortiſſima pubes :
Qui Ventam, Dernamque bibunt, fontemque latronis
Nobilis : Elmetique manus, Brammæque manipli,
Et quos miſerunt tunc mœnia magna Lageci.
Nec non Totonicos qui ſulcant vomere campos ;
Oſſa ubi magna virûm nunc vertit arator, et arma ;
Cælataſque roſas clypeis, quæ tanta ciebant
Prælia diſſimiles ; et tanto ſanguine ripas
Vicini implebant Cocari. Nunc ſcabra colores
Abſtulit infenſos rubigo ; jacentque ſepulchro
Concordes. En quo ceſſit diſcordia tanta !

Sunt

Sunt illis tela haſta levis; falcatus et enſis:
Lævas parma tegit, caſſis caput. Inclytus omnes
Cymbelin adducit regi, ſua ſigna ſecutos.
Mœnibus interea pulchris exibat in armis
Criſtata Eboraci legio, duce rege ſuperba:
Quaſſatiſque haſtis lætum Pæana canebant.
His Anneſtææ fortis manus additur: et qui
Albentes liquere tuos, Calcaria, clivos.
Quique colunt agros, quos junco et carice multa
Tardato tacite pervadit flumine Foſſa.
Deinde Calateria ex ſilva quos miſit in arma,
Reſponſis hortata ſuis notiſſima Quercus;
Sacra Jovi; nemoriſque diu regina vetuſti.
Illam omnes ſumma tum relligione colebant;
Vocalem ſoliti ſcitari in robore nympham.
Sacro etiam viſco ſi quando vireſceret arbor;
Creſcentem ad Lunam, poſitiſque altaribus, aureo
Mos ſolennis erat Druidis abſcindere cultro.
Quid quod et hæc arbor veſtrum duravit in ævum;
Nuda quidem, et tendens ſine fronde et cortice ramos;
At multum referens de majeſtate priore.
Quin et Hamadryada priſcam ſub robore narrant
Degere adhuc: nec deſeruit vetus incola truncum:
Sive æquævus amor retinet; ſeu fata coercent.

Immo hic indigenæ ſe noctu ex robore mœſtas
Sæpe audire ferunt voces; ſeu Nympha doleret
Ob vetus exciſum nemus, amiſſaſque ſorores:
Aut vitam gemeret defeſſa, moramque ſecuris.
Hiſce viris galeæ cava robora; robora palmæ;
Et telum fruſtra nunquam librata bipennis.
Vertitur ante omnes præſtanti corpore et armis
Rex ipſe inſignis. Numeris notat agmina plenis,
Arma, animoſque virûm: ſpes illi, et vivida virtus
Elucent oculis: intus dat gaudia tantos
Conveniſſe viros; tot fortia pectora bello.
De rerum eventu ſcitatum oracula miſſi
Jam Delgovitia rediere; et talia regi
Legati reſponſa ferunt. Quærendus ad altum
Armorum clivum, ſub rupe horrente repoſtus,
Inſignis clypeus: vobis ille omnia pandet.
His dictis; clamat Druidarum maximus Ormus
En! promiſſa dies dubiis rex inclyte, rebus
Advenit, Druidæ quam tot ſperavimus annos.
Accipe et arcanis quod jam fas promere noſtris.
Brutus nempe parans Itala diſcedere terra,
Imperiis actus Divûm nova quærere regna,
Ibat ſollicitus Cumææ ad limina vatis.

Non ibi reſponſum, varia ſed imagine rerum
Cælatum accepit clypeum; quo cuncta legenda,
Quæ ſibi, quæ ſociis, gentique gerenda Britannæ.
Hos autem monitus addebat diva Sibylla;
Cum terris ultra ſpumantem fluctibus Humbrem
Jam victor potieris, humo tu conde ſepultum
Hoc fati ſpecimen: neque enim rex ſummus Olympi
Concedit nimium vulgari arcana Deorum;
Et teget impoſito vaſtæ fundamine rupis:
Quod tamen invenient poſt ſecula ſera nepotes.
Attoniti dictis animi. Rex ſacra parari
Protinus Armorum ad clivum de more jubebat;
Et Tarani magno, ſuperiſque altaria poni.
Hæc medio antiquæ ſilvæ ſe ſaxea rupes
Extulit, æthereas ingenti mole ſub auras:
Deſpectans late nemora, et Verbeia fluenta,
Et tum, quo caſu incertum, cognomine gaudens
Armorum. Pecudes huc ducunt veſtibus albis
Induti Druidæ; et redimiti tempora viſco;
Et ſalſas fruges, vinumque ignemque miniſtrant;
Imponitque aris Ormus libamina prima.
Anxia ſtat circa procerum cum rege corona,
In manibus geſtans virides de robore ramos.
Tunc has Venuſius, tollens ad ſidera ramum,

Supplice

Supplice voce preces fundit. Rex ſumme Deorum,
Qui Bruto Phrygio Albionis conſidere terra
Cum ſociis olim dederas; genus unde Britannum;
Et domus Ebranci, et Brigantum mœnia magna:
Ulterius tende auſpiciis: quemque ille gerebat
Fatalem clypeum, nunc alte hæc ſaxea moles
Viribus humanis non evellenda recondit,
Erue tu nobis. Des hoc diſcrimine rerum
Cernere queis ferimur fatis. Præcognita dulce eſt
Expectare bona: et mala contra audentius itur.
Sic ait. Et ſubito cæli nigreſcere vultus;
Denſari nubes; agitari et turbine venti.
Tempeſtas toto furit æthere: et intonat axis
Horrendum: mixti deſcendunt ignibus imbres.
Tum pater omnipotens, immiſſo fulmine, rupis
Tranſadigit coſtas; et ſaxea vincula rumpit.
Diſſiliunt latera; et penitus patuere cavernæ:
Extremoque antro fulſit clypei aureus orbis.
Cætera jam læti peragunt ſacra, votaque ſolvunt;
Et pecudum impoſitis extis altaria fumant.
Jamque omnes avide vatis mirabile donum
Percurrunt oculis: rerumque hominumque figuras
Extantes nitido clypei curvamine luſtrant.
Ipſe equidem memini, cum noſtræ Troïus Heros

Aſtaret

Aſtaret ripæ, Eboracas venturus in oras,
Inſolita lucens mirabar imagine flumen,
Æris, et argenti textus, aurique notabam;
Et formas varias; et inuſtos igne colores.
Nec non fatorum ſeriem legi. Albion illic
Cæruleo Oceano circundata, rupibus albis
Emicuit: poſuitque novæ fundamina Trojæ
Brutus: et a Bruto longus rerum ordo ſecutus.
Hos inter Divûm monitis, longævus Ebrancus
Imperii ſedem ripas prope fluminis Uri
Figebat; muros interlabentibus undis.
Dat populis leges; et Diis indicit honores;
Atque audax auro primus ſibi tempora cinxit
Mulmutius. Proles ſubiit præclara Belinus:
Atque alii inſignes ejus cognomine Reges.
Hos autem tranſit citus, ad ſua tempora rerum
Venuſius properans. Dein nos, et flumina noſtra
Conſpicit, et plenam Romano milite ripam.
Se quoque cognovit, ſua caſtra, ducesque Britannos:
Atque acies duro Martis certamine junctas.
Hæſit ſollicitus, qua ſtet victoria parte;
Donec converſas aquilas, ſua cinctaque lauro
Tempora, parte alia, vidit: tunc numina lætus

Senſit

Senſit amica Deûm: fauſteque oracula pandi.
Aſſenſere omnes: dubiis ſpes ortaque rebus.
Cætera deinde juvat patriæ percurrere fata:
Quique viri ſeris orituri diſcere ſeclis.
Illic Eboracos cives, pubemque Brigantum
Cernere erat, mirum! junctos cum gente Quirini.
Mutuæ amicitiæ facies; mixtique Hymenæi.
Atque Helena Chlori thalamos ingreſſa Britanna.
Chlorus ibi; et Chloro Magnus ſatus. Atque alii quot
Faſcibus inſignes unquam inceſſere per urbem.
Parte alia externæ flectunt ad litora proras
Euris advectæ claſſes: armataque fundunt
Agmina, Saxonicoſque duces, Ellamque ferocem
Qui primus ſtabat Deiræ longo ordine Regum.
Hic autem indomiti Scoti, Pictique feroces
Finibus irrumpunt. Agri populantur, et urbes:
Nec magnis Valla aggeribus conſtructa coercent.
Deinde aliæ claſſes; et gens exercita rapto
Involat, horrendo conturbans omnia bello.
Immanes cædes opifex, Danicoſque furores
Fecerat, et fuſo ſpumantem ſanguine terram.
Fecerat et Lunam, et ducentia ſidera noctem,
Pervigil Eboracæ dum conjurata juventus
Ulciſci patriam, ſecretis excubat armis:

Atque

Atque Danos vindex uno omnes funere merſit.
Inſuper Eboraci cingentem milite muros
Normannum; atque ſolo fumantem finxerat urbem.
Addideratque roſas, fraterni inſignia belli:
Hæc acies albam ſcutis gerit; altera rubram.
Deinde domûs fata Eboraci; quos paſſa labores
Regia progenies; et quanto ſanguine fuſo
Heroum, ſceptris tandem ſucceſſit avitis.
Stemmate ab Eboraco viſa eſt procedere longa
Magnorum ſeries regum: quos inter Eliza,
Et Naſſovus, et Anna; et qui nunc temperat orbem,
Conſiliis, armiſque regens Brunovius Heros.
Ille duas tollens æquato examine lances
Pondera librabat: palmas, et lumina tendens
Invehitur juxta virgo Sidonia tauro.
Deinde aliis alii viſi ſuccedere reges;
Et pacis bellique vices per ſecula ſera.
Jamque argumentum clypei perlegerat omne
Venuſius; quaſſanſque caput ſic ore profatur.
O labor æternus Martis, bellique libido!
Quantas heu! curas; et quanta pericla ſubibunt
Hac olim noſtri fruituri luce nepotes!
Aſt illi curent pulchre ſua vertere fata:

Nos jam noſtra vocant. Duro certamine Martis
Stat patriam tutari, et ſacra altaria Divûm.
Nec nos indecores factis, famave nepotes
Accipient. Proſit proavorum exempla ſuorum
Magna ſequi: et virtus ſi tanta, excedere tentent.
Sic ait; et nitidum Phrygii geſtaminis orbem
Attollens humero, mandat vexilla moveri.
Procedunt acies; atque implent agmina campos.

## ARGUMENTUM

### LIB. III.

*Danus finita narratione domum redit, ut vicinos ſuos amnes ea nocte conviviis excipiat. Mentor eò ducit Alcæum; qui clarorum virorum vultus in vitreis urnis, aqua repletis, ibi conſervatos cernit. Illi ab Aula Dani reverſi collem occupant, unde Prælium inter Brigantes et Romanos ſpectent. Arviragi currus falcati. Ille Didium vulnerat, et occidit Velocatum; Sabella Cartiſmandam. Venuſius it contra Serranum. Locrinum videt vulneratum. Cæſonio parcit. Haleſum necat. Veſpatianus ei nube eripitur. Alcæus rogat Mentorem de bello occiſis. Segonactis umbra. Ambiorix et Pætus mutuis cadunt vulneribus. Venuſius Adminium ſervat, et occurrit Serrano. De Diis pugnam intuentibus. Serranus in fatidico clypeo ſua fata conſpicatus a Venuſio interficitur.*

HActenus Eboracam bello, ſtudiiſque frementem
Armorum retulit Danus: nunc muneris, inquit,
Diva, tui eſt coram, quæ reſtant, pandere vati;
Commiſſaſque acies, ipſamque oſtendere pugnam;
Atque iterum ad Dani Romanos ſiſtere ripas.
Sanguine pinguis adhuc noſtro conterminus amni
Floret ager, ſulciſque arma, oſſaque vertit arator;
Illic vos cymba vectos lux craſtina ſiſtet:
Sed mihi Nereides, et Doris mater, et amnes
Vicini nocte hac noſtram gratantur ad aulam,
Majorem ſolito quod nuper cærulus urnam
Nereus conceſſit; parat et convivia Venta.
Sic fatus mediis ſe Danus condidit undis.

Nox erat; et tumidis adverſo flumine velis
Umbroſas alnos inter, ripaſque ſilentes
Cymba ſecabat iter. Placide ſpirantibus Euris;
Et Lunæ facie tremulas ludente per undas.
Hi vario ſermone viam, noctemque trahebant:
Mox rogat Alcæus: quænam convivia Danus,
Quamve aulam jactat; vel quæ tellure ſub ima
Humida regna tenent noſtrarum numina aquarum?
Mentor ad hæc: fluviis pecudes, volucreſque viroſque
Principium Oceanus rerum commiſit alendos:
Mandatiſque dedit; potum ut, victumque pararent
Omnigenum cunctis, quæ fert animalia tellus:
Imperium hinc illis magnum conceſſit aquarum,
Immenſoſque lacus, et clauſos gurgite vaſto
Infernos fluctus: ſuperas unde exit ad auras
Quantus apud terras genialis naſcitur humor.
Hinc ortæ nubes humectant imbribus agros:
Aut ſulcis nebulæ minuunt arentibus æſtum:
Aut matutinus teneram ros temperat herbam.
Hinc lacus haurit aquas: hinc fontis origo perennis;
Perpetuoque amnes ſe volvunt flumine, longe
Munera per terras vitæ fecunda ferentes.
Omnia aluntur aqua. Diis hinc fluvialibus aras
Inſtituere pii veteres; votiſque vocarunt:

Riti-

Ritibus et norunt iras avertere ſacris.
Quin age : nec verbis referam, quæ viſere præſtet.
Fas erit, haud metuas, tibi Divûm limina adire ;
Et, duce me, nocte hac epulis accumbere Dani :
Cras iter inceptum peragemus. Protinus Euris
Intendit Mentor vires ; veloque tumente
Cymba volat : ſtrident undæ, verrente carina ;
Et longe ſulcum deducit puppis hiantem.
Jamque antrum ſubeunt ingens, unde exit ad auras
Danus ; et uſque viam celerant, aperitur aquarum
Donec planities lata : et jam navigat amplum
Cymba fretum. Tanta attonitus ſtupet æquora vates ;
Tot diverſa locis properantia flumina ad auras
Æthereas : tot tecta Deûm per ſtagna, lacuſque
Undicolûm : ſua veſtibulo cuique aſtitit urna.
Agmina miratur volucrum crepitantia celſis
Rupibus ; et rauco reſonantia litora cantu.
Cernit ibi patrios amnes, Salona frementem,
Præcipitem curſu Niddum, et Verbeia fluenta,
Nec non fraternas undas ibi Caldris, et Ari,
Derventi fontes, Hullæque paluſtre cubile.
Ipſe, quot Eboracam peragrant, pater Urus aquarum
Incumbens Urnæ, glaucos et arundine crines
Cinctus jura dabat : ſimul hæc regaliter addit.

Ite amnes noſtri ; gentemque fovete Brigantum.
Audeat ante tamen nullus decurrere in æquor,
Quàm ſeſe curſu noſtris adjunxerit undis.
Me penes eſt ſolum Oceano vos reddere magno.
Jamque cava Dani ſub rupe apparuit aula ;
Teſtaturque epulas nocturnis lucida flammis.
Huc iter emenſos mirans in tecta recepit
Danus ; et adventu lætus, gratiſſima, dixit,
O Diva, hoſpes ades ; non dedignata Camænis
Ignota et terris alte abdita viſere regna !
Mentor ad hæc. Equidem ſedes has pandere vati
Cauſa viæ ; et meritos fluviorum oſtendere honores ;
Imperiique modos ; nec non, quæ plurima tectis
Convenere tuis, ut cærula numina cernat.
Aula fuit rupe exciſa, et cava fornice vaſto,
Convivis ſpatioſa, epuliſque accommoda magnis.
In medio menſæ dapibus cumulantur opimis :
Accenſiſque micant faſtigia ſumma lucernis.
Omnes agnovere Deam ; lætique receptant
Alcæum Muſæ comitem, ponuntur Iâcchi
Crateres ; flaventque Scyphis Cerealia vina.
Accedunt vultus hilares ; feſtique lepores,
Et jocus, et riſus : dulci teſtudine Naias
Pulchra modos variat ; furtiſque inſignis et arcu

Hodî latronis, fluvios bene nota per iſtos,
Ludicra geſta canit: reſonant laquearia plauſu.
Interea inſertas Alcæus in ordine cernit
Parietibus vitreas urnas, undaque repletas;
At, mirum, vaſi ſua cuique humana figura
Intus pelluxit: tantum et non vivere viſi
Vultus. Attonitus quæ res ſit protinus ardet
Diſcere: ſcitanti cui Danus talia fatur.
Quas ego cunque lavo terras; quaſcunque minores
Rivi, labentes tandem in mea flumina curſu;
Tota mea eſt regio: mea gens has incolit oras:
Cui fecunda meis undis parit omnia tellus.
Heu! quas egregias animas his finibus ortas
Continuo ſecum rapuit, quæ protulit ætas;
Nec quiſquam exemit vates oblivia leti?
Quod potui, ſævis tentavi avellere Parcis;
Atque virûm ſervo vivas per ſecula formas.
Scilicet aſtantem ripæ ſi quando tuerer
Dignum laude virum; et fidus mihi redderet amnis
Effigiem; lymphaque innaret vivida imago;
Deprenſam incluſi vitrea, ceu cernis, in urna,
Formaque pellucet nullum peritura per ævum.
Nec mirere modum facti: Dii poſſumus iſta.
Quin etiam indigenas erga eſt amor amnibus idem

Omni-

Omnibus; et jactant aulis ſimulacra ſuorum.
Hic me ſæpe juvat recolentem facta meorum
Contemplari animas; notiſque occurrere formis.
Deinde mihi plaudo lætus mea flumina tantos
Nutriviſſe viros; patriæ tot nomina magna.
Aſpice quam frontem ferat, et quæ jactet ocellis
Fulgura Gallorum terror Sephilæius Heros.
Hic invicta malis ſtat magni Strafforis umbra:
Nec non Ledæi vultus ſolertia. Et alma
O tua, Ventiades, priſcæ pietatis imago;
Progenies noſtra; et materno a nomine dicta!
Sed longum eſt omnes percurrere: nec niſi formas
Reddere nos penes eſt, et ſub tellure latentes,
Extra hominum laudiſque vias: vos tollere cantu
Muſa docet famam; et totum celebrare per orbem.
Arte nova Alcæus perculſus, talibus infit:
O mens humano generi tua, Dane, benigna
Omnia ſolviſti veſtris: et maxima certe
Servandæ famæ, nimium heu! neglecta ſuperne,
Hic cura emicuit. Vobis nec inutile ſpero
Huc iter intulimus; fruſtra nec Mentora cernis.
Labitur interea tempus, dum plura tueri
Pergit inexpletus vates: redituſque morantem
Admonuit Mentor. Digreſſos cymba recepit:

Atque

Atque viam retro ſecuit prono ocyus amne.
Jam ſuper Eoos Aurora albeſcere montes
Cœperat; et gelidæ noctis fugere tenebræ:
Cum proram advertens ripæ, quos quærimus agros,
Hi ſunt Mentor ait: quanto diſcrimine fati
Sudabant veteres pro libertate Brigantes,
Hic ſpectare para. Vos autem ignoſcite, Manes,
Si cineres turbo ſacros; animaſque quietas
Corporibus mandans paulum renovare labores
Præteritos adigo. Fas deinde redire ſub umbras
Æternum. Dabitur ſimul hoc Solaminis, atro
Nomina quod ſolvam leto; famamque rependam.
His dictis, tumulum capiunt, cui ſubjacet omnis
Planities; reſidentque intenti vertice ſummo.
Protinus æquatis ibant Romana maniplis
Agmina: et implebant late longo ordine campos.
Pilorum ſtat dira ſeges: Phœbo arma relucent
Adverſo; et nutant criſtata caſſide plumæ.
Ante aciem Didius, ſenior licet, et gravis annis,
Acer equum flectit. Dant arma, tubæque vigorem:
Et memori priſcæ recaleſcunt pectora famæ.
Hortando monuit ſocios quid Roma, quid ipſi
Feciſſent; et ſe tunc non ſperare minora.

Insuper ostendit, quot regnum propter ademptum
Millia contulerat bello, sua signa secuta,
Cartismanda ferox : et quanta vindicis ira
Hostem se jactet patriæ, infensamque marito.
Interea castris erupit Eboraca pubes
Impatiens ; nimbis ceu quando fluminis aucti
Aggere perrupto, magno ruit unda tumultu ;
Planitiemque vorat cursu ; mox expatiata
Lentius incedit, donec pervadat ad oras
Extremas ; et diluvio vallem occupet omnem.
Haud secus est portis acies effusa Brigantum ;
Et glomerata rapit campos : mox mollius ire
Incipit, et sese distendit passibus æquis
Progrediens, armis donec compleverat omnem
Planitiem ; extremisque alis æquaverat hostem.
Interea Arviragus, laxis satis intervallis,
Esseda per medios infert falcata maniplos.
Cumque manus statio signata receperat omnes,
Rex insignis equo niveo, clypeoque coruscо,
Accendit dictis animos : arasque Deorum
Et patriam memorat, libertatemque tuendam.
Tum pandi ad ventos antiqui regis Ebranci
Vexillum mandat. Furit ilicet altus ad astra
Clamor ;

Clamor; et attollunt rabidum cava cornua cantûm:
Quaſſatiſque pilis ſtridet tinnitus ahenis.
Nec Romana minus volitat tuba clara per auras.
Concurrunt acies; primiſque fit impetus armis.
Jamque omnis ſurgit belli furor, et grave Martis
Certamen: ſævit ſtricti violentia ferri.
Vis animi, roburque manûs, voceſque minantûm,
Atque oculorum ignes, torvæque audacia frontis
Humanas ſupra vires quid velle videntur.
It cœlo armorum ſonitus, rabieſque tumultus,
Ingens bellantûm clamor, gemituſque cadentûm.
Sic illi Martem ſummis conatibus urgent:
Cædunt; cæduntur pariter; fugiuntque fugantque:
Atque incerta manet quo ſe victoria vertat,
Interea nimium fortunam hærere notârat
Romanam Didius: nec, quod culparet, habebat.
Sed mora diſplicuit; nondum et viciſſe pigebat.
Sollicitus ſuper his Serranum forte tuetur
Pulvere ſudantem campi, magnamque trahentem
Ex femore Androgei, quem tum proſtraverat, haſtam.
Novimus invictam per belli aſperrima dextram
Fortis, ait, Serrane, tuam. Sex agmina tales
Præberent ſi noſtra viros, jam terga dediſſent

Hoſtes; aut patriis jacuiſſent corpora campis.
Haud unquam, Serranus ait, dux inclyte, virtus
Emicuit Romana magis; non Martius ardor.
Undique certatum pulchre eſt: nec dedecus uſquam.
Agricolam vidi, Cottamque, et Veſpaſianum:
Ut vir quiſque virum legeret fulgentibus armis
Inſignem; validis membris, animiſque tumentem:
Et quiſque adverſi perrupit pectora ferro.
Icti procubuere ſimul: tria corpora duro
Inſonuere ſolo: viſuque exhorruit hoſtis.
Gens hæc dura quidem; patriamque acerrima bello
Defendit; noſtris ſed tanto dignior armis.
Nec moror, armorum quem priſtina gloria tollit,
Venuſium, reſidet quo ſpes jam tota Brigantum:
Caratacoque parem jactant. Nos vidimus ipſum
Caratacum vinctum: manet hunc quoque currus eburnus
Cæſaris: et Romam vinclis ſpectandus adibit.
Aut ſi fata dabunt mecum concurrere pugna,
Victor opima Jovi magno ſpolia arma reponam.
Cui placide Didius; pectus tibi ſemper honeſtum,
Ignarumque metûs; at ſpes effræna cupiti.
Omnia fauſta tamen dent Dii ſuccedere votis.
Sic fatus properat, qua viſa aſcendere ad auras
Nubes; et denſo turbari pulvere cœlum;

Audi-

Auditusque virûm clamor, ſtrepituſque rotarum.
Illic Arviragus ferrata infuderat hoſti
Eſſeda, et armatos curvatis falcibus axes.
Ut ſignum dederat, ſimul inſonuere flagella :
Profiluere ſimul currus ; ceu grandinis imber,
Quem fera maturis tempeſtas impulit arvis ;
Strata jacet ſeges ; et teneræ franguntur ariſtæ.
Mitius haud inter furit agmina percitus axis,
Omnia proturbans ; lateque dat æquore ſtragem :
Vulnere deformes artus, truncataque membra
Sparſa tremunt ; rapidiſque rotis contuſa teruntur.
Triſtis humi facies ; miſerandaque mortis imago.
Ut campum aſpexit Didius, clademque ſuorum,
Et jam circumagi currus, reditumque minari,
Figite clamat equos ; in equos convertite tela :
His ſternenda via eſt ; et vis tardanda rotarum.
Expedit his furias ; hoc obice ſiſtere currus :
Deinde æqua liceat, credo, concurrere pugna.
Dixit, et Arviragi venientis in ora jugalis
Contorſit telum. Surſum emicat ilicet ictu
Arrectus Sonipes : at retro mole gravatus
Concidit ; et calces reſupinus jactat ad auras.
Ceſſavere rotæ ; temoque extenſus arena eſt :
Tollitur ad cœlum clamor. Furit acer, et axe

Deſilit

Desilit Arviragus: stridet simul hasta per auras,
Et Didii intonuit clypeo. Munimina cuncta
Transiit; et lævam perfossam cuspide baltei
Aurati infixit bullis: dein ocius ense
Alte sublato spe magna fervidus instat.
Missilium prohibet nimbus; sociique cruentum
Densati texere ducem, discedere pugna
Vulnere dum tardo liceat, castrisque reponi.
Sustinet interea stridentia tela Britannus
Et clypei obvertens molem se sistit; et omnem
Accipit, ut pelagi rupes immota, procellam.
Mox rapit exardens, campo quod forte jacebat,
Saxum informe ingens, valido libratque lacerto;
Sublatumque alte ceu funda mittit adactum.
Agmen perrupit violenti ponderis ictus,
Strage viam signans: non arma, nec ossa resistunt;
Contusique crepant artus; et corpora retro
Acta ruunt; ictuque animæ eliduntur anhelæ.
Ille rotans ensem, via qua monstrata per agmen,
Transiit intentus Didio, spoliisque superbis.
Ut vero ereptam prædam, et spem sensit inanem,
Lumina per campum volvit, quo dirigat iras
Impatiens; dignus si quisquam vindice dextra
Occurrat; Didiique fugam qui morte rependat.

Forte

Forte Velocatum fulgentem cernit in armis
Et tunica indutum, quam multo intexerat auro,
Et pignus veneris dederat regina nefandæ.
Protinus ulciſci thalamos ardebat amici,
Et pugnam inceptat. Sed viſu exhorruit ille
Arviragi: cecidere manus, et palluit ora.
Jamque fugæ fidens, a tergo miſſile telum
Accipit; et pectus pertranſit ahenea cuſpis.
Concidit in terram pronus: pauliſper arenam
Diſpergit manibus; mox alta morte quieſcit.
Ingentem Regina ciens inſana per auras
Clamorem, cœlumque Erebumque horrenda precatur
In caput Arviragi: ſocioſque involvere telis,
Et lacerare jubet; letumque paciſcitur auro.
At vultum ipſa viri horreſcens, dextræque furores,
Flectit equos averſa; paratque excedere pugna.
Ille autem recolens animo, quæ vincula paſſus
Caratacus; fratres quam triſti cæde perempti
Venuſii; nec non hoſtes jam in regna vocari;
Accipe, ait, patriæ peſtis, quæ digna mereris
Præmia: et extenſo librans haſtile lacerto
Emiſſurus erat, cum jam pharetrata Sabella
Fertur equo ſpumante; viri dextramque prehendit.
Quis furor Arviragi magni? et quæ gloria facti,

Veſtra,

Veſtra, inquit, ſcelerata cadat ſi fæmina dextra?
Illa mea eſt. Sexûs ulciſci opprobria noſtri
Me decet; et meritas cum ſanguine ſumere pœnas.
Tunc aptat nervo lethalem virgo ſagittam;
Et curvat lentæ magna vi cornua taxi:
Ilicet acta fugit; juguloque extabat arundo:
Aſt illi curru morientia membra reſidunt.
Proſiluere in equis incenſi cæde ſororis
Andragorix, Arraſque ingens; quorum eminus alter
Pennatum accepit, transfixo gutture, telum;
Atque excuſſus equo vitam exhalavit arena.
At furiis Arras actus ſtricto advolat enſe
Adductoque alte parmæ partem abſcidit ictu
Virginis: et leviter nudum mucrone lacertum
Strixerat. Hinc tumidus ſucceſſu, et ſanguine viſo,
Inſultare hoſti; et voces jactare protervas.
Emicat; et latam rapit ignea virgo ſecurim;
Perque viri galeam, conſutaque tergora ſeptem
Libratam illiſit capiti, merſitque cerebro.
Nox oculis ſuffuſa ruit; tremulæque remittunt
Fræna manus: mox pondus iners jacet æquore campi.
O decus, et patriæ Vindex, Lavatria virgo,
Arviragus clamat! Tibi quas pro talibus auſis
Venuſius ſolvet grates? quas tota Brigantum

Gens

Gens referet; quantaſque addet, cum plurima campo,
Veſperis ante umbras, dederit tua funera dextra?
Dixit: et unanimes, qua pugna acerrima, tendunt.
Hoſtibus interea mediis elapſus anhelum
Urget equum ſtimulis Sybarix: formidine vultus
Horruit; et, galea amiſſa, riguere capilli.
Ille volans Regi tremulo clamore reportat
Exuperare animis Serranum; et marte ſecundo
Jam campo dominari; et ſecum advolvere bellum:
Arviſtum cecidiſſe manu, fortemque Theanum,
Guiderioſque duos: pugna ceſſiſſe gravatum
Vulnere Locrinum; turbataque gentis Ocellæ
Agmina; et in pejus dextro ruere omnia cornu.
Subſtitit his Heros media inter prælia campi;
Continuitque haſtam multa jam cæde rubentem;
Quid faciat verſans animo, quæ ducere ſecum
Agmina conveniat; quam partem opponeret hoſti.
Nomine deinde duces clamat; monſtratque pericla.
Iſuriæ ductor gentis veniebat Aſylas;
Vencedaluſque ferox, Mobriſque acerrimus armis,
Et Segonax uſu belli provectus, et ævo.
Hi ſocios properant glomerare: novamque repente
Educunt alacres aciem; regemque ſequuntur.
Tollitur ad cœlum pulvis, clamorque virorum.

Ac veluti nubes cum denſat lurida cœlo
Tempeſtas; tonitru reſerantur viſcera; et atrum
Fulgura præcurrunt late rutilantia nimbum.
Pulveris haud aliter nubes involvit euntes;
Armorumque micat media ex caligine fulgor;
Dum gravis horriſoni cornûs fragor intonat intus.
At non ignari quanto hæc ruitura procella
Turbine; et ancipiti verti jam cardine pugnam.
Auſonii coiere duces, quos maxima virtus
Impulit, invictæque ſtetit fiducia dextræ.
Agmina Serrani firmant, denſantque maniplos.
Forte videns viridi ſiccantem in gramine vulnus
Locrinum, mœſta comitum cingente corona,
His miſerans dictis Rex eſt affatus amicum.
Quæ manus hoc auſa eſt? quis te, fortiſſime Ocelle,
Contra impune ſtetit; fuſo et jam forte ſuperbit
Sanguine Locrini? Si dent concurrere mecum
Fata virum; non te dextra hæc patietur inultum.
Ille dolore graves oculos attollit; et infit.
Non quiſquam hoc auſus: ſed dum concurrere ferro
Provoco Serranum, jaculata incerta per auras
Infixit femori telum manus. Omnis in illum
Agmina vaſtantem, Martiſque furoribus actum
Ira ruat: manet ille tuam, Rex inclyte, dextram.

Hei mihi! qui patriæ tanto in diſcrimine tardor
Vulnere: et hic ſedeo poſitis inglorius armis.
Ut videre virum duro cedentia Marti
Agmina Locrini, et nitidi geſtaminis orbem,
Nec mora, clamorem tollunt; converſaque in hoſtes
Ora alacres, ac tela ferunt, bellumque repoſcunt.
Jamque iterum coiere acies: omniſque redibat
Certantum rabies, ſparguntur plurima circum
Funera; prima forent ceu nunc exordia pugnæ;
Nec ſatis effuſo maduiſſent ſanguine campi.
Auſidium primus ſternit Brigantius Heros
Succeſſu tumidum, vanæque opprobria linguæ
Jactantem: clypei perrupit tegmina, et alto
Inſidit gravis haſta ſinu: cum ſanguine vitam
Effudit vulnus; truncumque recepit arena.
Adverſum deinde Albinum, piloque minacem
Dejicit in terram: loricam, et ſquamea ſuta
Haſta volans tranſit; tergo extat ahenea cuſpis.
Tunc Salium Burrumque necat: nec te tua texit
Civica, quam Rhodani quondam prope flumina pulchræ
Præmia militiæ meruiſti, Ruſe, corona:
Nunc procul ad Dani ripas dant fata ſepulchrum.
Nec Martem minus invadunt; et mutua miſcent

Bella duces alii. Sternit Cogidunus Avitum :
Carvilium Baſſus ; fortem Naſica Suellam.
Agricolæque manu Medanus, et acer Aſymbas
Procumbunt : fruſtra hic lucebat in ære paternis
Montibus effoſſo : congreſſu concidit alter
Impare ; qui mores ſprevit mutare priorum,
Quos bello nudos ſolum ſcutum, enſis, et haſta
Armabant. Coilum prenſis Muretus habenis
Avulſum deturbat equo : ruit in caput ille
Præcipitans ; cervixque humeris detorta recumbit.
Inſtat victori Corinæus, et enſe reciſum
Calce ferit caput ; et longe provolvit arena.
Tu Taximaguli percuſſus, Plance, bipenni
Sterneris, informi diviſus vulnere malas.
Præda jaces avibus, dum fati neſcia conjux
Somniat armillas, nuribuſque erepta Britannis,
Quæ tu pollicitus, baccata monilia collo :
Qualia geſtabat celeberrima Claudia Romæ
Carataci proles, Italis inviſa puellis
Dum patriis gemmis ornata incederet urbe.
Fata negant reditum ; promiſſaque ſparſa per auras.
Ecce ſubit pugnam pulchris Cæſonius armis,
Cæſariem comptus, pictoque ſuperbus amictu ;

Qui

Qui ludos inter Romæ, Villæque Sabinæ
Delicias, ſub matre inglorius egerat annos.
Hunc genitor Romam rediens modo victor ab Iſtro,
Degenerem indignans, ad bella Britannica miſit,
Avulſum amplexu matris, lacrymiſque ſororum.
Ille autem, ut fortuna fuit, jam ſtabat in armis
Venuſium contra; et jaculum torquere parabat.
Ut tamen ora viri magni, gladiumqne minacem
Aſpexit; mentem turbavit mortis imago.
Quid faciat? via nulla fugæ; quin projicit hoſtis
Se pronum ante pedes; et palmas tendit inermes;
Atque amens animi pavida ſic voce precatur.
Parce meis lacrymis; miſerandæ parce juventæ;
Parce ſenectuti, proles ego cara, parentum:
Haud ego pars belli: non has niſi nuper in oras
Adveni; nec adhuc maculavi ſanguine terram.
Quin etiam invitum genitor me miſit in arma;
Arma odi: nec me poſt hæc mavortia tela
Tractantem renuant Dii manes mittere ad imos.
Subridens heros dictis, lacrymiſque puſillis,
Sic infit: ſerves animam neque vivere dignam,
Nec gladio tolli. Cur hæc opprobria belli
Militiæ miſcet Didius? num regna Brigantum
Semiviris vincenda dedit, comptiſque capillis?

At non ſemiviri telum aſpice, clamat Haleſus
Ingens, et vibrans ingentem ex robore clavam.
Thrax erat; ac gelidis Hæmi ſub montibus ortus,
Membris confiſus validis, et viribus audax
Militiam jnvenis, Romanaque caſtra petebat:
Jamque viri nomen clareſcere cœperat armis.
Huic Didius jam vela parans has ſolvere in oras
Litore cunctanti (nam mens præſaga tenebat)
Præmia militiæ Eboracis promiſit in agris.
Eboracæ arriſit nomen; mentique reduxit
Quæ, quondam patrias cum primum linqueret oras,
Threiciæ ſortes juveni reſponſa dedere;
Arva apud Eboracæ gentes tibi fata reſervant.
Ille ratus pandi ſortes hoc omine; adeſſe
Promiſſaſque ſibi ſedes, finemque laborum;
Conſcendit lætus claſſem. Jamque aſpicit ipſam
Eboracam; laudatque; ardetque audendo mereri;
Nec duce Brigantum potiorem optaverit hoſtem.
Stat contra; atque haſtam venientem roboris ictu
Obliquo ferit; et vacuas detorquet in auras.
Tum Regi inſurgens geminatis ictibus inſtat,
Arduus; immanique laceſſit pondere clavæ.
Ille orbem objecit clypei; immotuſque furores
Suſtinuit; donec teli pertæſus, et hoſtis

Ab-

Abnormis, vires, iraſque intendit: et alte
Juncturis humeri merſit ferrum. Ilicet ictu
Torpeſcit manus enervis; clavamque remittit;
Immiſſumque viri nudum latus accipit enſem.
Ille ſolo ſtratus ſic debita poſſidet arva:
Sortis et ambiguæ moriens ludibria ſenſit.
En alium pugnæ ſe contra inferre parantem
Rex videt, inſignem præſtanti corpore, et armis.
Ardua in ore viri majeſtas ſedit; et alto
Inceſſu patuit magnus. Quin protinus ambo
Pugnam ineunt. Fruſtra clypeorum in tegmina flictu
Dant haſtæ ſonitum: concurritur enſibus: et jam
Viribus obnixi totis grave cominus urgent
Martis opus; ſimul accipiunt, et vulnera reddunt:
Atque parem bello reperiſſe pudebat utrumque.
Altior inſurgens gladio, longeque reducens
Rex galeæ illiſit, nec vulnus fecit; at ictu
Concuſſum teli Romanum ſtravit arena
Semianimum, attonitum, dubiaque in luce natantes
Huc illuc volventem acies. Tum fervidus inſtat;
Dumque parat mucrone viam diſcludere vitæ,
Ecce virum cœlo nubes dilapſa ſereno
Obductum ſubito ex oculis procul eripit. Ille
Inſequitur, clamatque et verberat ictibus auras;

Incu-

Incuſatque Deos; et fata objurgat iniqua.
Tunc ſic affatur venturi præſcius Ormus:
Deſine mirari; nec fata retexere ſperes.
Illum, quem queris, Rex inclyte, Veſpatianum
Dii Romæ rapuere ſuum; caſtriſque locarunt
Incolumem. Nempe haud longo poſt tempore mittent
Orbis in imperium magnum. Sic volvere fata
Sunt mihi viſa viri. Tamen hoc ſolaminis eſto;
Viciſti; et tanti reſtat tibi gloria facti.
Attonitus belli furiis, ac cæde cruenta,
Projectiſque animis, et ſpreto munere vitæ,
Incipit Alcæus. Meritis quæ præmia, Mentor,
Digna manent illos, quorum nunc corpora campis
Sternuntur patriis, pro libertate peremptos?
Nos equidem famam damus, ut poſt funera virtus
Vivat; et æterno celebrentur carmine laudes:
Quid tamen hæc mœſtis addunt ſolaminis umbris?
Mitte, inquit Mentor, temere miſereſcere ſortis
Umbrarum, ignorans quæ degitur altera vita.
Primo equidem ruit in terram cum vulnere corpus,
Aſtat mœſta anima; et pauliſper amore retenta
Trunco inhiat ſocio; et divortia turbida luget:
At poſtquam ceſſit mortis tremor; et ſibi ſana

Mens

Mens rediit, carnis ſe ſentit carcere rupto
Evaſiſſe anima ; et natas quaſi concipit alas:
Intimaque agnoſcit melioris ſemina vitæ.
Sed tibi fas oculis ſpectare incognita veſtris.
Protinus apparent a pugna et cæde remotæ
Corporibus viduatæ animæ ; per ſummaque campi
Gramina, ceu nebulæ tenues, levitate feruntur.
Has inter magni vadit Segonactis imago :
Palluit haud vultus ; nec adhuc audacia frontem
Deſeruit : pilo perfoſſum pectus hiabat.
Mentora ut agnovit, placide ſic incipit heros.
O Dea ! quæ famæ, laudumque cupidine cogis
Ardua mortales tentare, et temnere vitam ;
Des ut Brigantum virtus, exemplaque noſtra
Carminibus valeant mandata, acccendere amore
Tutandi patriam, libertatemque nepotes ;
Uſque adeo proſit noſtri poſt funera fama ;
Utilis haud nobis ; forte at placitura ſub umbras.
Præmia nos marjora manent : quæ vita vocatur
In terris, mors eſt : noſtra hæc veriſſima vita eſt,
Curarum ac leti immunis ; quam numine ſacro
Inflati Druidæ ducendam ſæpe monebant
Heroum cætus inter, ſedeſque beatas.
Atque en ! Teutates nos evocat ad loca læta.

Cerno alas, virgamque Dei ; placidique ſequamur,
O ſocii dixit ; ſecumque abduxit ovantes.
Adverſi in campo ſtabant, ſic fata ferebant,
Ambiorix Pætuſque duces : pugnamque cruentam
Dum miſcere parant ; ni fallor, imagine vultus,
Olim, Pætus ait, concurrimus : atque Silurum
Sanguine Semianimes noſtro madefecimus arva :
Ambo concidimus : nec mens mihi ſuggerit ultra.
Alter ad hæc ; pugnam memini, lætuſque reſumo :
Nec credo infectam jam bis fortuna remittet.
His dictis, Martem renovant, iraſque priores :
Atque iterum totis in famam viribus itur :
Summa quidem famæ, ſed cura leviſſima vitæ.
Cum vero exhauſtæ longo certamine vires ;
Innixique haſtis languentia membra levarent ;
Alter ut alterius lethalia vulnera vidit ;
Senſit et obrepens ſua per præcordia frigus :
Incipit ambiorix ; actum eſt : quid tendimus ultra ?
Vulnera non ſananda iterum, repetendave bella :
Pugnantes morimur ; patriis jam ſolvimus omnia :
Hinc ceſſent iræ. Des, O fortiſſime, dextras
Jungere, ut ingentis teſter virtutis honorem.
Pætus amore viri perculſus, magnanime hoſtis,

Cedo

Cedo victus, ait; quem non generoſa domare
Hæc tua dicta queant? quæve iſto pectore digna
Reddere jam liceat? mors (heu!) premit ora loquentis:
Accipias ſaltem hanc animam morientis amici.
Amplexi cecidere ambo; placidique quierunt.
Serranum interea poſcit Brigantius heros,
Funera ſi liceat patriæ, cædemque ſuorum
Ulciſci; et nodum hunc tandem reſcindere belli.
Sed neque Romanum pugnæ minor excitat ardor;
Qui fidens animi Regem jam vincla gerentem
Somniat; et pulchris ſpoliatum concipit armis.
At circum glomerati hoſtes, bellique tumultus
Congreſſum impediunt. Quin agmina findere ferro
Inſtat uterque, viam medioſque aperire per hoſtes.
Impiger haud aliter maturis meſſor in arvis
Duro operi intentus demeſſis pandit ariſtis
Falce viam, donec fines accedat agelli:
Continuo ſegetis protenditur ordine ſtrages.
Sic illi enſe viros reſecantes tramite longo
Proſternunt. Jamque Adminium mors merſerat atra,
Ni pedibus quæſita ſalus: fugit æquore campi
Saucius; et dextram fracto enſe oſtendit inermem;
Imploratque miſer ſocios: tergo ocius acer

Inſtat Serranus. Jamque intra miſſilis haſtæ
Jactum aderat; triſtem cum vocem agnovit amici
Venuſius; miſeranſque viri properantia fata
In campum erupit medium; ſeque horridus armis
Obtulit adverſum venienti cominus hoſti.
Tunc ſecum cœli aſpectans convexa precatur.
Hunc, pater omnipotens Taranis, da ſternere ferro
Prædonem: diſcat ſic tandem Roma timere;
Nec jactet noſtros impune laceſſere fines.
Serrano interea rerum varia inſtat imago.
Optatum videt, et qualem haud præſenſerat hoſtem;
Magnanimique viri vultum, geſtumque notabat
Inſignem, quantum et quatiebat dextera telum:
Cernit et arma, Jovi quæ voverat, haud niſi magnis
Diripienda auſis; tanto at magis excitat ardor
Immenſæ laudis, ſpeſque iſtius æmula famæ,
Quæ Druſo quondam, et Torquato contigit, et quot
De ducibus bello occiſis egere triumphos.
Et quid Serrano liceat minus? altius ergo
Inſurgens haſtam valida vi jactat: at ictum
Suſtinet innocuum clypei impenetrabilis orbis;
Inque auras longe fracto mucrone retorſit.
Et jam Venuſii grave telum, pondere, et ictu

Allap-

Allapſum, retro Serranum cedere paulum
Impulit, inſolito mirantem turbine miſſum.
Ilicet emicuere enſes; et fulguris inſtar
Scintillant, variantque vices; atque intonat æther
Ictibus: haud etenim levis hæc res prælia miſcet.
Hic avidus patriam tutandi acerrimus inſtat:
Illum urget Romæ dominandi effræna libido.
Interea Auſoniis pariterque Brigantibus ima
Pulſat corda tremor; cui dent certamine fata
Vincere; quem ſtratum damnent procumbere campo.
Mentora jam rogat Alcæus; quæ ludicra rerum
Sors agitur? cur hic ſatus ad Tiberina fluenta,
Alter inauditi Romæ Salonis ad amnem,
Hic inimici ineant de vita et ſanguine pugnam?
Siccine Dii miſcent mortalia? mitte querelas,
Mentor ait; cernas, ſuperi quod et his quoque rebus
Interſunt. Quali en graditur ſuper ardua montis
Inceſſu Mavors, iras, bellique furores
Per campum ſpargens! galeæ rubet æthere criſta
Sanguinea: atque haſtæ reſplendet ahenea cuſpis,
Haud ſecus ac claro deſcendens Heſperus aſtro.
Romanos ciet ille ſuos. Pro gente Brigantum
Aſtant Dii patrii: magnarum, ut cernis, aquarum
Numina; quæque tenent fontes, et ſtagna, lacuſque,

Quæ

Quæ ſilvas, monteſque colunt : et in his Deus oris
Bellipotens, gaudenſque feris altaribus Heſus.
Ut Telum quatit horrificum, Martique minatur !
Increpitans, illi non regna ſubeſſe Brigantum,
Sed ſibi Neptuni dono ceſſiſſe ; tridenti
Cum Deus immani bimaris fundamina molis,
Hiſce olim juncta eſt qua priſtina Gallia terris,
Verteret ; atque Iſthmo confunderet æquora rupto ;
Ut caram Albionem reliquo ſecerneret orbe.
Belliger hinc Heſus colitur per regna Brigantum ;
Irruat et Marti infenſus, ni Jupiter obſtet.
Quin video ipſa Jovem, (nec fas tibi cernere) binas
Librantem cœlo lances, certaminis hujus
Penſet ut eventum : monſtrant at pondera iniqua
Nondum eſſe in fatis Romæ parere Brigantes.
Jam vero Arviragi currus, ſtrepituſque rotarum,
Armatoſque audit redeuntes falcibus axes
Serranus. Nimium (heu !) novit non poſſe ruinam
Hanc ſufferre gravi laſſatos marte maniplos.
Ingemit ; ingentemque premit ſub pectore curam ;
Non ſibi, ſed Romæ metuens. Jamque una videtur
Hoſtis in adverſi ſpes leto. Hinc acrior inſtat ;
Ingeminatque ictus. Clypeum at dum verberat enſe
Fatidicum ; en ! varias inter rerumque virûmque

Cælatas

Cælatas auro formas ſe forte tuetur
Serranus; vultuſque ſuos cognoſcit, et arma;
Ingentique jacens confoſſum vulnere corpus.
Obſtupuit: decreta Deûm, manifeſtaque fata
Vicerunt; ſubitumque gelu præcordia ſtrinxit.
Deinde animi fractus paulum conatibus ægris
Arma movet; trepidaque manu ferit inſcius auras,
Nec clypeum advertit lethali opponere telo.
Nam per loricæ ſuta ærea fervidus haurit
Rex acto mucrone latus. Sonuere cadentis
Arma viri magni: et mordet Serranus arenam.
Auſonii avertunt oculos; et ad æthera ſurgit
Infandus gemitus; qualem tot millia tollant.
Nec mora; victor ovans, pubeſque animoſa Brigantum
Agmina marte premunt trepidantia; et impiger omnes
Infert Arviragus violento turbine currus.
Tandem acies retro cedit Romana; fugamque
Indignata petit. Tanto acrius involat hoſtis:
Nec cædis ſatianda ſitis; nec dira libido
Vindictæ; Occiduus ni jam deſcendat Olympo
Phœbus; et obducat terras nox atra tenebris.

Hactenus Eboracam cecini, Romanaque rerum
Tempora; nec primum hunc licuit finire laborem.

Reſtat

Reſtat Saxonico campo decurrere; et ultra
Tendere iter longum promiſſa incauta repoſcunt.
At ſatis emenſus ſpatii diffidit anhelis
Currus equis: monet et ruituras Heſperus umbras.
Audeat hoc aliquis, cui par natura paravit
Materiæ ingenium; cui ſors dedit otia vitæ;
Cui patriæ laudes animo; et cui dexter Apollo.
At metuat muſis averſo credere Seclo
Carmina, patronus niſi faverit inclytus auſis:
Nec partîum ſtudio vates male ſanus agatur.
Ipſe equidem ſcripſi, nec famæ captus amore,
Siqua foret; nec præſidio mihi Memmius ullus.
Sed relevare animum ſtudia inter ſeria muſis
Suetus eram: tandemque ipſam lenire ſenectam.

# NOTÆ

## Ad LIB. I.

9 *MEMMI.* Auctor, cum neminem haberet Patronum, Memmium finxit.

18 *Brigantes* illam olim incolebant Britanniæ partem, quæ nunc dividitur in agros Ebor. Lancaſt. Weſtmor. Cumber. et Dunelm. hic ſolum agitur de agro Eboracenſi.

19 *Picti* Septentrionalem partem Britanniæ habitabant.

20 *Deiræ* regnum inter alia continebat agrum Ebor.

24 *Roſæ.* Alba inſigne erat domûs Ebor. Rubra Lancaſtr.

44 *Teiſis* flu. Tees. Eboracæ terminus ad Septentrionem.

44 *Humber.* Olim Abus Æſtuarium Ebor. terminus ad Auſtrum.

73 *Urus.* Ure flu. Urbem Ebor. interluit. Nunc autem ubi recipit in ſe Ouſebourn amniculum, uſque ad Humbrem vocatur Ouſe.

74 *Brigantium.* Primo Caer-Ebranc nunc Eboracum.

77 *Promiſſa.* Vaticinium vetus de amplitudine urbis Ebor.

79 *Acamii.* Acomb villa prope Ebor.

79 *Septimius Severus* Imperator obiit Eboraci.

146 *Papinianus* tunc erat Præfectus Prætorio.

151 *Bellonæ* templum in vico nunc Micklegate.

154 *Caledonia.* Pars Scotiæ auſtralis.

166 *Cantiacis.* Jul. Cæſar cum primum Inſulam noſtram aggrederetur, litore Cantiano non ſine gravi pugna potitus eſt.

179 *Signifer.* Cæſar in Commentariis hoc memorat.

185 *Cingetorix.* Unus ex quatuor regibus Cantii.

186 *Caſſibelinus.* Cui ſumma imperii bellique adminiſtrandi communi conſilio permiſſa eſt.

196 *Caratacus* vel *Caractacus*. Rex Silurum fortiſſimus, a Cartiſmandua Brigantum Regina Romanis proditus. Illum Claudius Imp. Romæ oſtentavit. At viri magnitudine et conſtantia motus, ipſique et conjugi et fratribus veniam tribuit. Vocati patres multa ac magnifica ſuper captivitate Carataci diſſeruere; neque minus id clarum, quam cum Syphacem P. Scipio, Perſem L. Paullus, et ſiqui alii victos reges Populo Romano oſtendêre. Tac. Ann. lib. 12.

211 *Bunduca*. Praſutagi Regis Icenorum uxor. Filiæ ejus a Romanis ſtupratæ; ipſa verberibus cæſa; et poſtea in prælio victa.

215 *Camolodunum* et *Verulamium* urbes Rom. a Bunduca devaſtatæ.

233 *Viſco*. Miſſletoe, multa ſuperſtitione Quercui abſciſſo; et nihil illo Druidis Sacratius.

240 *Mæatarum* regio, nunc Northumberland.

252 *Iunæ* æſtuarium. Ituna Eden flu. prope Carliſle.

252 *Tina*. Tine flu. ad cujus oſtia nunc Tinmouth.

298 *Bederna*. Ubi olim curia Regis in Urbe Eboraco.

300 *Fratres*. Caracalla et Geta, filii Severi.

306 *Chlorum*. Conſtantius Chlorus Imp. obiit Eboraci.

310 *Helena*. Chlori uxor, filia Coel alias Cælii Regis Britannici.

315 *Sacellum*. Cum monachorum ædes diruerentur, in crypto porticu ædiculæ, in qua Chlorum ſitum fuiſſe opinio erat, lampadem ardentem repertam fuiſſe memorat Camdenus.

330 *Magni*. O fortunata, et nunc omnibus terris beatior Britannia quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidit. Panegyriſtes.

336 *Ebrancus* dicitur a Bruto quartus regnaſſe in Britannia, et Urbem Eboracum fundaſſe, ab illo dictam Caer-Ebranc.

338 *Imago*. Ut dicitur Regis Ebranci; adhuc ſervata in Urbe Eboraco.

349 *Delphos*. Ubi Brennus cum exercitu fulgure conſumptus.

366 *Pallade litem*. Viz. de nomine Athenis imponendo. Neptuno equum proferente, Pallas olivam produxit; quæ præſtantior judicata eſt.

371 *Gorria*. Lacus, nunc Gor-mire ſubtus Hambleton.

384 *Eborio*. Conſtantius Chlorus dicitur Epiſcopali ſede ornaſſe Eboracum, Eborius in Concilio Arletanenſi circa An. Chriſti 314 ſubſcripſit, Eborius de civitate Ebor. Provincia Britannica.

391 *Delgo-*

391 *Deïgovitia.* Nunc Godmanham prope Wighton. Ibi olim fuit celeberrimum Idolorum fanum et oraculum. Excidium hujus Templi fuit quidem temporibus Saxonum. Sed Poetæ non ſunt Chronologi.

421 *Inſignia belli.* Signum crucis a cælo Conſtantino M. oſtenſum, cum hac inſcriptione, *In hoc ſigno vinces.*

476 *Axe ſub Arctoo.* viz. in Lapponia.

480 *Prætorium.* Nunc Patrington.

482 *Caſtoreæ.* A Caſtoribus. Beverley.

484 *Hullus.* Hull flu.

494 *Abus.* Humber.

537 *Neptunum.* Vide v. 475.

549 *Ocellum.* Spurnhead, ad oſtia Humbris.

552 *Laërtius heros.* Ulyſſis adventum in Britanniam memorat Solinus.

554 *Urbis.* Ulyſſingen ſive Fluſhing in Zelandia, quam Ulyſſes dicitur fundaſſe.

601 *Vates Thebanus.* Tireſias.

## NOTÆ ad LIB. II.

1 *Ocellum Promontorium.* Nunc Spurnhead, ad oſtia Humbris.

4 *Regis.* Qui nomen dedit Humbri, in quo ſubmerſus dicitur.

5 *Merſa.* Inſula in Humbre: vocatur Sunk.

15 *Coritani* fiti erant ad latus Humbris auſtrale.

16 *Trenta.* Trent flu.

18 *Arus.* Are flu.

20 *Danus.* Don flu.

42 *Venuſius.* Maritus Cartiſmanduæ Reginæ Brigantum. Illa, ſpreto marito, Vellocatum ejus armigerum in matrimonium accepit. Hinc bellum exarſit. In extremum diſcrimen adductam petita a Romanis præſidia variis præliis exemerunt; ita tamen ut regnum Venuſio, bellum Romanis relictum fuerit.

52 *Avitus Didius Gallus* Proprætor in Britannia P. Oſtorio Scapulæ ſucceſſit.

65 *Sephilæa.* Sheffield.

83 *Cognomine.* Doncaſter, quaſi a Dauno.

92 *Cambodunum.* Almonbury.
94 *Atris montibus.* Blackſtone Edge.
96 *Caldris* et *Ari.* Calder et Are flu.
97 *Verbeia.* Wharf flu. *Olicana.* Ilkley.
99 *Pengentus.* Penygent mons. *Arx Clifforis.* Skipton Caſtellum.
106 *Siluræ cladis.* Pugna in qua Caratacus Silurum Rex victus.
114 *Lavatræ.* Bowes apud Stanemoor.
115 *Teiſis.* Tees flu.
138 *Cataractonium.* Nunc Catarick ſuper Swale flu.
143 *Lavatria virgo.* Sabella.
164 *Micalus.* Michael-How-Hill prope Ripon.
165 *Malloridum Tempe.* Studley. *Rypæ.* Ripon.
796 *Scaldis.* Skell flu.
197 *Antrum.* In medio Eccleſiæ. Ubi Wilfridi acus celeberrima, caſtitatis teſtis.
206 *Cornu.* Inſigne apud Ripenſes.
212 *Sauleni.* Sawley. *Patellæ,* Pateley-Bridge.
219 *Vencedahum.* Ex Wencedale.
219 *Bracchium.* Præſidium Romanum juxta Bantbridge. Ubi erutam memorat Camdenus ſtatuam Aur. Commodi Imp. Herculis habitu efformatam.
229 *Maſſam,* Maſham. *Bedelam,* Bedale. *Midlæa,* Middleham.
230 *Danico.* Tanfield, ſeu Danfield, ubi caſtra Danica.
231 *Salonis.* Salo, Swale flu.
232 *Opibus monti.* Richmont.
253 *Vallis Mobræa.* Ampliſſima, a comite Mowbray ſic dicta.
254 *Viſca.* Wisk flu.
256 *Threſca,* Thirsk. *Allertam.* N. Allerton. *Clivum,* Topcliff, antiqua Sedes Percæorum.
259 *Hamilii.* Hamilton mons.
260 *Clivia.* Cleveland.
261 *Iärmus.* Yarum ſuper Tees.
270 *Iſurium.* Aldbrough.
279 *Saxa.* Formæ Pyramidalis, vulgo dicta, Devil's Arrows.

282 *Niddus,*

282 *Niddus*, Nid flu. *Verbeia*, Wharf flu.

283 *Cnarus*. A quo Knareſbrough; ubi Fons, viz. Dropping-Well; in quo res injectæ lapideſcere obſervantur.

312 *Fletu remanente*. Guttæ cadentes a Saxo, in quod Meliſſa mutata.

347 *Vigilam*, Wakefield. *Leodam*, Leeds. *Halifacem*. Halifax jus habens furto deprenſos ſtatim capite obtruncandi.

352 *Dunum*. Dunus ſinus juxta Whitby a Ptolomæo notatus.

353 *Clivia*. Cleveland. *Vitbæa*. Whitby. *Mulgrava*. Mulgrave Caſtellum.

356 *Latronis*. Robin Hood's Bay.

357 *Gagates*. Jet.

363 *Corpora Serpentum*. Lapides ibi reperti, anguium in ſpiras revolutorum forma.

368 *Oſbaſten*. Hunmanby. *Filæ*. Filey-Bay.

369 *Mœnia Scauri*. Scarborough.

373 *Semeris*. Semer.

375 *Derventa unda*. Derwent flu.

377 *Lucinæ vallis*. Pickering-Lyth, a Lucio a Pike. Lucius hic regnabat. De ejus annulo in ventre Lucii reperto nota fabula.

380 *Peredurus*. Rex erat Brit. et dicitur fundaſſe Pickering.

382 *Reio*. De flumine, unde Rydale.

384 *Helmeti*. Helmſley. *Rivallæ*. Rivaux Monaſterium.

315 *Malta*. Malton.

395 *Garrabiis*. Garraby mons.

411 *Gabrantes* vel *Gabrantovici*. In vicinia habitabant ubi nunc Bridlington, et ad Flambrough Promontorium.

415 *Eulimenæ*. Hic nympha eſt. Ptolomæus vocat hunc ſinum Eulimenon, i. e. Sinum Salutarem. In cujus receſſu nunc viculus Sureby, i. e. Sure Bay.

424 *Venta*. Went flu. Amnis in Danum fluens per Wentbridge.

429 *Vipſææ*. Vipſeys. Rivi per Voldas incertis temporibus ex terra profiliunt.

436 *Frænatum*. Bridlington.

437 *Voldæ*. Wolds.

445 *Rud.* In his partibus Rudſton villa, ubi ingens erigitur ſaxum ſepulchrale.

448 *Lyranus.* Apud Harpham ſunt ſepulchra gentis St Quintin. Vulgus credit ibi audiri Tympanum prænuncium funeris ex ea gente. Maluit poeta Lyram dicere a Villæ nomine, viz. Harpham.

454 *Ocellum.* Holderneſs. *Prætoria mœnia.* Patrington. *Oinotopum.* Wineſtead. *Burtam.* Burton. *Roſſa.* Roſs. *Heddona.* Heddon. *Pagulam.* Paul. *Rycea.* Ryſe. *Cornea.* Hornſey.

487 *Hullæ.* Hull flu. *Hullus* urbs.

488 *Caſtoris urbem.* Beverley.

503 *Pariſi.* Populi circa Delgovitiam nunc Godmanham.

508 *Hoddena.* Howden. *Holmia.* Holme. *Derventio.* Aldby.

521 *Ponfracti.* Pomfret, Pontefract.

527 *Ventam.* Went flu. *Dernam.* Dern flu. *Elmeti.* Barwick in Elmet. *Latronis fons.* Robin Hood's Well. *Brammæ.* Bramham. *Lageci.* Caſtleford. *Totonicos.* Towton.

534 *Cocarus.* Cock flu.

543 *Anneſtææ.* Ainſty. *Calcaria.* Tadcaſter. *Foſſa.* Foſs flu.

547 *Calaterium nemus.* Nunc Foreſta de Galtres prope Eboracum.

548 *Quercus.* Broad Oak in dicta Foreſta.

575 *Armorum Clivus.* Armcliff, in foreſta de Knaresbrough.

596 *Taranis.* Jupiter ſic dictus a Britannis.

631 *Troïus Heros.* Brutus.

645 *Belinus.* Cujus cognomine dicti alii poſt illum Reges Brit. Cuno-belin, Caſſi-belin, Cym-belin. &c.

668 *Deiræ.* Regnum ab Ella fundatum.

679 *Danos.* Omnes eodem die occiſi.

693 *Sidonia virgo.* Europa.

## NOTÆ ad LIB. III.

12 *VEnta.* Went flu. Dani conjux.

12 *Nereus.* ſc. amnis ejus nuper factus navigabilis.

116 *Sephilæius heros.* Talbot comes de Shrewsbury, cujus fuit manerium de Sheffield.

117 *Straf-*

117 *Strafforis.* Comes de Strafford.
118 *Ledæi.* Ducis Leodienſis.
119 *Ventiades.* Wentworth, pater Comitis de Malton.
120 *Materno.* a Venta uxore Dani.
275 *Velocatum.* Vide 48. Lib. 2.
277 *Regina.* Cartiſmandua Romanis prodidit. Venuſii fratres inſidiis captos necavit. Romanos in regnum vocavit.
296 *Sabella,* vide 143. Lib. 2.
359 *Locrinus Ocellorum ductor,* vide 454, Lib. 2.
411 *Claudia.* De Claudia nata in Britannia, vide Martialem. Lib. 11. Epig. 54.
535 *Teutates.* Mercurius ſic dictus apud Britannos.
588 *Taranis.* Jupiter ſic dictus apud Britannos.
630 *Heſus.* Deus belli Britannorum.
636 *Iſthmo.* Quo olim, ut dicitur, conjuncta fuit Albion cum Gallia.

11 7 49

117 Stratford. Comes de Stratford.
118 Lodn. Duci Lodbrofis.
119 Penbrok. Wauwerth, pater Comitis de Pembroc.
120 Mdenwo. a Venta urbe Dani.
215 Flandrus. Vide 48. l.ib. 2.
217 Regina. Cantilenadua Romana prædixit. Venuli fatura malis
tepida recivit. Rumbres in regnum vocavit.
296 Sibella, vide 115. Lib. 2.
339 Leonus Dudlenus dictus, vide 151. Lib. 2.
411 Claudia. De Claudia nata in Britannia, vide Martialem. Lib. 11.
Epig 54.
535 Veneris. Mercurius fic dictus apud Britannos.
588 Taranis. Jupiter fic dictus apud Britannos.
630 Hefu. Deus belli Britannorum.
636 Illum. Quo olim, ut dicitur, conjuncta fuit Albion cum Gallia.